VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
24 A
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

60
E
19

Digitized by Google

D E
S. ALBERTO
CONFESSORE
TERTII ORDINIS S. DOMINICI
DISSERTATIO HISTORICA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Digitized by Google

DE
S. ALBERTO
CONFESSORE
BERGOMENSI
CREMONÆ DENATO
TERTIO ORDINI S. DOMINICI
ADJUDICANDO
DISSERTATIO HISTORICA

Bononiæ jam edita, & recèns aucta.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

Biblioth. Secr. Coll. Rom. S. J.

MEDIOLANI MDCCXLVI.

In Regia Curia, apud Joſephum Richinum Malateſtam, Regium Ducalemque Typographum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ANnus jam decimus labitur, quo Pater Hermenegildus Todeſchini Mantuanus, Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicatorum, Quæſitor Generalis S. Officii Cremonæ (nunc Mediolani) *diligenter exquiſitis, congeſtis, atque diſcuſſis monumentis ad res geſtas, inſtitutum, & cultum S. Alberti Bergomenſis pertinentibus, emortualem ejus Epocham a nonnullis Scriptoribus per errorem, vel oſcitantiam Seculo XII. affixam emendare, multiſque oſtendere, eum Tertio Ordini S. Dominici nomen dediſſe, pro ea, qua pollet, eruditione niſus eſt. Laboris ſui ſpecimen Romam miſit expendendum, ubi hactenus ſervatum,*

tum,

tum, uſui aliquando futurum. Nunc verò cum in manus noſtras inciderit, ejuſmodi viſum eſt, quòd ſi latinè redditum, ac bono in lumine poſitum Eruditis exhibeatur, non ſuadere modò, ſed perſuadere rem poſſit, omnique dubitatione ſummota, Prædicatorum Ordini S. Albertum vindicare. Id aggreſſi ſumus veritatis amore, cui nec tempus, nec oblivio præſcribere poſſunt. An illud etiam ſimus conſecuturi, vacuis ab omni præjudicio Lectoribus ſtatuendum permittimus. Scribebam Anno 1741.

INDEX

INDEX

Capitum hujus Diſſertationis.

Caput I. *Vitæ S. Alberti Synopſis.* Pag. 1

Caput II. *De Epocha emortuali S. Alberti conſignanda ad Annum MCCLXXIX.* 6

Caput III. *Argumentis negativis idipſum evincitur.* 12

Caput IV. *Quis Author falſæ Epochæ emortualis S. Alberti, & quæ erroris occaſio.* 14

Caput V. *S. Albertum Fratrem de Pœnitentia, ſeu Tertii Ordinis S. Dominici fuiſſe oſtenditur.* 26

Caput VI. *Idem probatur ex antiquis Iconibus, ſeu Imaginibus S. Alberti.* 33

Caput VII. *De veterum Scriptorum Ordinis Prædicatorum circa S. Alberti Inſtitutum ſilentio.* 41

Caput VIII. *De antiquitate Cultûs Beato Alberto delati, ejuſque origine, & progreſſione.* 45

Indiculus *Scriptorum, qui de S. Alberto egerunt.* 52

Summarium *Documentorum, quæ in hac Diſſertatione laudantur.* 55

Die 14. *Octobris* 1746.

IMPRIMATUR.

P. F. Thomas Franciſcus Baſſi S. T. M., & Vicarius Generalis S. Officii Mediolani.

Franciſcus Curionus Archipresbyter S. Euſebii pro Eminentiſs. & Reverendiſs. D. D. Card. Puteobonello Archiepiſc.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excellentiſſimo Senatu.

CAPUT I.

Vitæ S. Alberti Synopſis.

ALbertus e Pago Villæ Oneæ (*a*) Vallis Serianæ (*b*) prope Cluſonum non ignobile Agri Bergomenſis Oppidum ſub initium Seculi XIII. (*c*) agricolis parentibus ortus eſt. Eorum artem ſecutus a primis annis agriculturam exercuit, coluitque domeſticum agrum, exiguum illum quidem, ſed

(a) *Vulgò* Villa d'Ogna, *quod Pagum uno circiter milliario diſtat ab altero nuncupato* Ogna, *& per Cavitellum* Aonium *ad A.* 1279. *in Annalibus Cremonenſium, quorum alterutrum aſſeritur Natale ſolum S. Narni primi Bergomenſis Epiſcopi a Patre Cæleſtino Ord. Capuccinorum ex nobiliſſima Familia Martinenga progenito, in Hiſtoria Eccleſiaſtica Bergomenſi p.* 2. *Vol.* 1. *cap.* 17. *cum aliis ab ipſo relatis.*

(b) *A Serio Flumine illam interluente.*

(c) *Nativitatis ejus Annum incertum relinquimus. Altum de illo apud Scriptores ſilentium. Joſeph Breſſianus in Vita S. Alberti Cl. illum conſignat ad A.* 1125., *ſed*

ſed ab aliquibus potentioribus Bergomatibus (*d*) vehementer expetitum, a quibus propterea diuturnis moleſtiis affectus eſt. Sed Vir pacis amantiſſimus, terrenorumque contemptor, quo ſe perſecutorum invidiæ ſubduceret, ac pietatis officiis, quibus a puero impenſe deditus fuerat, liberiùs vacaret, Patriâ, & Patrimonio relictis, Cremonam receſſit, ejuſque civitatis incolatum ſelegit. Ut verò jam arreptam Chriſtianæ perfectionis viam ſecuriùs curreret, Fratribus Ordinis Prædicatorum in Cœnobio S. Gulielmi tunc agentibus, ſe ſe ſpiritu imbuendum, dirigendumque commiſit, ab iiſque Fratrum de Pœnitentiâ (*e*), quos etiam Tertii Ordinis S. Dominici vocant, habitum enixè efflagitatum accepit. Studium illi orationis aſſiduum, Eccleſiæ, Sacramentorumque frequentia, profunda humilitas, mira in peregrinos hoſpitalitas, & infirmorum cura, ſumma abſtinentia, omniumque virtutum exer-

cùm emortualis Epocha S Alberti referenda ſit ad A. 1279., ut infra oſtendemus, ea opinio nulla veritate fulcitur. Rectiùs igitur nativitatem ejus tranſtulimus ad initium Seculi XIII. Anno minimè deſignato.

(d) *Suardos eos fuiſſe ſcribit Cavitellus in Annal. Cremon. ad A. 1279.*

(e) *Fratrem de Pœnitentia S. Dominici illum fuiſſe latè oſtendemus cap. 5. & 6.*

exercitatio, quas inter eminebat caritas in Deum, & proximum. Nam quidquid labore manuum (*f*) ſibi acquirebat, vix ſepoſito, quod ad victus diurni parcitatem ſufficeret, totum in pauperes erogabat. Quod ægrè admodum ferens ejus uxor (*g*) ſanè rixoſa, ac permoleſta diù patientiam, & longanimitatem ejus exercuit. Sed profuſam Viri liberalitatem miraculis aliquando Deus probavit; (*h*) nam cibi, quos e domo ad pauperes tulerat, intacti prorſus in ejus menſa apparuerunt. (*i*) Religionis, & pietatis cauſsâ, multas ad Loca Sancta peregrinationes ſuſcepit, Romanam nempe, Compoſtellanam, atque Hieroſolymitanam. Nonnulla in iis profectionibus miracula ab illo edita feruntur;

(f) *Arte aliqua, & corporali labore S. Albertum victitaſſe omnes tradunt Scriptores. Lanificium exercuiſſe ſcribit Cavitellus. Vino ferendo operam impendiſſe tradunt Chronicon Parmenſe, & Placentinum. Vid. Summ. n. I & II. ac vetuſta eſt apud Cremonenſes traditio; unde & vini portitores ejuſdem Civitatis, & Bergomi, eum ſibi in Patronum delegerunt; verùm in Civitate Vicenſi Provinciæ Cathalauniæ lanæ Operarii ipſum Pro-Patrono venerantur.*

(g) *Uxorem habuiſſe, nullis tamen ſuſceptis liberis, tradunt Marius Mutius, Breſſianus in Vita ejuſdem, aliique.*

(h) *Narratur hoc Miraculum apud Vitæ Scriptores, & in Chronico MS. Eccleſiæ S. Matthiæ.*

(i) *Novies Romam profectum, octies Compoſtellam, ſcribit Cavitellus.*

cùm enim deficiente viatico operam ſuam cum aliis meſſoribus cuidam locaſſet, atque temporis compendio diuturnam ſociorum operam longè ſuperaſſet, invidiâ conciti ferream incudem inter fœnum ab illo ſecandum clanculùm abſconderunt, quo ejus falx obtunderetur. At ille fraudis ignarus incudem, velut molle gramen, cum fœno per medium ſecuit, falce prorsùs illæſa. Semel etiam e Compoſtellano itinere Cremonam redux, cùm ad Padi ripam conſtitiſſet, transjectionem humilitèr petens, quòd naulo ſolvendo non eſſet, repulſam a Vectoribus paſſus, ſtrato ſuper aquas Pallio, flumen ſicco veſtigio trajecit, indicto Miraculi ſilentio duobus ejus rei Spectatoribus, donec ipſe in vivis ageret. (*k*)

Denique poſt multas peregrinationes, labores, & merita, Cremonæ in ſupremum incidit morbum, quo ſe proximè moriturum intelligens (*l*) ſacris Myſteriis enixè flagitatis,

(k) *Leguntur hæc Miracula apud Marium Mutium, Joſephum Breſſianum, & laudatum Chronicon MS.*

(l) *Sacrum Viaticum e manibus ſumpſiſſe Parochi S. Sepulcri ſcribit Cavitellus. Alii verò narrant, cunctante Sacerdote ad Viaticum ei deferendum vocato, Columbam apparuiſſe, quæ Sacræ Hoſtiæ particulam roſtro deferens, in os ejus immiſit. Quare S Alberti Imagines exhiberi ſolent cum Columba Eucharistiam ei porrigente.*

tis, devotèque ſuſceptis obdormivit in Domino Nonis Maji 1279. Æra Urbis Campana nullo pulſante in ejus tranſitu ſonuiſſe fama eſt; (*m*) Cùmque in Cœmeterio Eccleſiæ S. Matthiæ ſepulcralis foſſa ejus corpori deſignaretur, fruſtra id tentatum eſt, pollinctoribus eo loci terram nuſquam effodere valentibus; ſed in effoſſum, ut creditur, divinitùs locum in Choro ejuſdem Eccleſiæ magnâ populi frequentiâ, & celebritate illatum eſt, plurimiſque ſtatim cœpit clarere miraculis, quorum famâ excitati proximarum Urbium accolæ frequentes ad ejus ſepulcrum convolarunt. Auctâ in dies miraculorum gloriâ, & Cremonenſium erga illum pietate decentiorem in locum ſub Altari ejus nomini inſcripto, ſacræ ejus exuviæ translatæ ſunt. Illius Feſtum die 7. Maji Cremonæ, in Pago Villæ Oneæ, & alibi, ſolemnitèr celebratur.

(m) *Apud laudatos Scriptores, & in Chronico Parmenſi, nec non Placentino*. Vid. Summ. num. V.

CAPUT II.

De Epocha emortuali S. Alberti conſignanda ad Annum MCCLXXIX.

CUm plerique Vitæ S. Alberti Scriptores ejus mortem conſignent ad A. 1190., quo certè S. P. Dominicus nullum Ordinem inſtituerat, operæ pretium eſt, falſam, atque præjudicatam hanc opinionem ab imo convellere, antequam demonſtrare aggrediamur S. Albertum Tertio Ordini S. Dominici nomen dediſſe. Id verò præſtabimus omni argumentorum genere, atque in primis eorum, quæ poſitiva dicuntur, a Scriptoribus nimirum ſynchronis, ſupparibus, aliiſque optimæ notæ depromta.

I. Eorum agmen ducit Scriptor Chronici Parmenſis, editi a Cl. Muratorio Tom. 9. Rer. Italic. Script. incipientis ab A. 1037., ac deſinentis in A. 1309. Ejus author Anonymus floruiſſe videtur labente XIII., & ineunte Seculo XIV., ut monet laudatus Muratorius in Præfatione. Is verò ad A. 1279. hæc habet: „ Item eodem Anno quidam „ Bonus Homo de Cremona, nomine Al- „ bertus, qui fuerat Portator Vini, ſive Leo-

„ ni-

„ nifer , obiit Cremonæ , & ad Sepulturam „ ejus apparuerunt magna mirabilia , ut di„ ctum fuit . *Vid. Summ. num. I.*

Hoc Chronicon Parmenſe deſcriptum etiam invenitur in pervetuſto libro membranaceo exiſtente in Archivo Monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ Parmenſis , ut ex Authentico illinc recepto .

II. In eodem Opere Rer. Italic. Tom. 8. editum eſt : *Memoriale Poteſtatum Regienſium*, Authore Anonymo, qui dubio procul vivebat A. 1290. narrat enim ſe adfuiſſe Reate , cùm ad eam Urbem confûgit Nicolaus III. Rom. Pontif., quod quidem eo Anno contigiſſe ſcribit Platina in ejus Vita . Igitur ad A. 1279. hæc habet : „ Et dicto tempore ap„ paruerunt Miracula B. Alberti , qui ſtabat „ Cremonæ , & qui fuerat unus Portator in „ dicta Civitate , & in multis aliis Civitati„ bus , & Locis . „ Porro ea miracula contigiſſe ſtatim ab ejus obitu tradunt omnes Vitæ Scriptores .

III. Petrus Maria Campi in Hiſt. Eccleſ. Placentiæ Tom. 2. lib. 15. pag. 77. col. 1. ad A. 1195. agens de S. Alberto , exhibet Fragmentum, ſeu Paragraphum Chronici Placentini, ubi mors S. Alberti conſignatur ad diem ſextam Maji, quæ in Sabbatum incidit A. 1279.

S. Alberti tempora attigiſſe videtur Scriptor ille; nam de ejus miraculis, populorumque frequentia ad ejus ſepulcrum, tanquam de re præſenti loquitur. In hoc laudato Fragmento S. Alberti obitus diei ſextæ Maji, ſeptimam tamen ingredienti, certè affigitur, ut ſervatâ Hiſtoriæ fide conjicere licet.

IV. Dominicus Bordigalus in Hiſt. MS. Familiarum Cremonenſium pag. 18. ſub titulo Viciniæ S. Matthiæ, mortem S. Alberti conſignat ad A. 1279. Scriptorem illum vixiſſe ad A. uſque 1532. tradit Cl. Ariſius in ſua Cremona Literata. *Vid. Summ. num. III.*

V. Jacobus Gaddius Civitatis Cremonæ Cancellarius, qui floruit circa A. 1532. teſte laudato Ariſio in Opere MS., cui titulus, *Extractio multarum Hiſtoriarum, & Chronicorum,* ad eumdem A. 1279. mortem figit S. Alberti. Exſtant duo prælaudata MSS. apud Cl. Franciſcum Ariſium Patriæ Hiſtoricum. *Vid. Summar. num. IV.*

VI. Vita, ſeu Legenda MS. S. Alberti, quæ exſtabat in Archivo Eccleſiæ S. Matthiæ exarata uſque ab A. 1587. a Jacobo Pochetti dictæ Eccleſiæ Rectore, qui res narratas accepiſſe tradit a Bono Lamo prædeceſſore ſuo, qui vixit Annos 85., & a P. M. Fr. Julio Ferrario

rario Ord. Prædic. Quæſitore Fidei Cremonenſi, & Provinciali utriuſque Langobardiæ A. 1565. S. Albertum denatum refert ad An. 1269. (ſatiùs tamen ad A. 1279.) Ita alia Legenda, ſeu Narratiuncula, quæ ſervatur apud Parochum Villæ Oneæ, & ex ſtylo, quo compacta eſt, phraſim redolet deſinentis Seculi XVI. vel XVII. ineuntis, eo quia in ipſa S. Ignatius Lojola Soc. J. Fundator non alio, quàm Patris titulo donatus, cui cohæret Chronicon Parmenſe confectum a Bartholomæo Valeſtri Parmenſi ab A. noſtræ Salutis 1076. uſque ad A. 1335. *ut in Summ. num. V.*

VII. Cæſar Specianus Epiſcopus Cremonenſis in Sacra Viſitatione Eccleſiæ Paroch. S. Matthiæ, & recognitione Sepulcri, & Reliquiarum S. Alberti, hæc habet: „ Reliquiæ „ ſunt iſtæ, videlicet Corpus B. Alberti Con„ feſſoris ſine Capite, & Brachio, collocatum „ in Arca marmorea ſuper Altare, qui obiit „ A. Dom. 1269. die 7. Maji, qui dicitur „ fuiſſe Bergomenſis ex Villa Ogna. „ Habita eſt ea recognitio die 25. Septembris 1599., exſtatque ejus documentum in Archivo Epiſcopali Cremonæ.

In prælaudatis Monumentis Rectoris Pochetti, & Speciani Epiſcopi conſignatur decen-

cennio ante mors S. Alberti errore, crediderim, Amanuenſis, vel lapſu Pochetti, a quo, ut videtur, illum exſcripſit Cancellarius Epiſcopalis; facilè enim mutatur numerus *69.* in *79.*

VIII. Ludovicus Cavitellus Hiſtoricus Cremonenſis in Annalibus deductis ad A. uſque 1583. mortuum tradit S. Albertum An. *1279. Vid. Summ. num. VI.*

IX. His adnumerandus venit P.Cœleſtinus Ord. Capuccinorum in Hiſt. Tripartita Eccleſiaſtica Bergomenſi typis excuſa Brixiæ Anno 1618. in prima hujus Diſſertationis impreſſione (quo duce non comperio) pro adverſis Caſtris recenſitus, p. 2. vol. 2. lib. 21. cap. 7. qui expreſsè fatetur S. Albertum A. 1279. ad Superos evolaſſe Cremonæ die 7. Maji.

X. Cl. Carolus Sigonius de Regno Italiæ Tom. 2. lib. 20. antiquæ editionis fol. 221., in noviſſima verò Mediolanenſi fol. 1092. Epocham mortis S. Alberti ad A. 1279. adſcribit his verbis: „ Cremonæ verò Albertus quidam „ Vini Portator mortuus, tanta, atque adeò „ mirabilia ſanctitatis edidit ſigna, ut omnium in ſe oculos, menteſque converterit; „ quo factum eſt, ut ad ejus Sepulcrum inviſendum ingens accolarum numerus ad-

„ vo-

„ volarit. „ Quæ verba in eamdem inclinans Sententiam Abraham Bzovius in Annalib. Eccleſiaſticis Tom. 13. pag. 800. ſub An. 1279. n. 17. adamuſſim tranſcripſit.

XI. Idcirco ab hac Sententia non adeò abhorrere cenſendus eſt Martinus Antonius Guerini, Cathedralis Bergomi Canonicus, Sac. Theol. & J.U. Doctor in Synopſi rerum, & temporum Eccleſiæ Bergom. typis recuſa Bergomi A. 1734., cum abſolutâ Vitæ D. Alberti exſcriptione, hoc epiphonemate ipſam concludat: „ De eo ſuccosè, & eruditè Si-
„ gonius in Regno Italiæ Tom. 2. lib. 20.
„ fol. 221., licèt poſſit eſſe mendum typo-
„ graphi referendo ad A. 1280. (accuratiùs
„ tranſumpſiſſet 1279.) loco 1290. ejus mor-
„ tem. „ Quamobrem circumſpectus Auctor non eſt auſus quidpiam pro certo definire; ſed in ancipiti Epocham emortualem S. Alberti reliquit, lapſum, quem opinabatur, in Impreſſorem potiùs, quàm in celeberrimum Scriptorem dubitantèr regerendo.

XII. His omnibus coronidem imponat Franciſcus Ariſius in Serie Chronologica Prætorum Cremonæ, qui ad A. 1279. chronologicum lapſum circa Annum emortualem S. Alberti emendat, in quem impegerat ex aliorum Sententia in ſua Cremona Litterata. CA-

CAPUT III.

Argumentis negativis idipſum evincitur.

QUi Epocham mortis S. Alberti ad Annum retulerunt 1190. aut 1195. id nullâ fecerunt Hiſtorici coævi auctoritate; ſed nec ullum habent Sententiæ ſuæ aſſertorem, aut teſtem, qui ſcripſerit ante medium Seculum XVI.

I. Sicardus Epiſcopus Cremonenſis vitâ functus A. 1215. qui Chronicon Cremonenſe deduxit ad A. 1213., exſtatque Tom. 7. Rer. Italic. Script. pag. 523. ne verbulum quidem, aut volam habet S. Alberti; tametſi ad An. 1198. S. Homoboni Confeſſoris Cremonenſis luculentèr meminerit. Incredibile eſt autem eum, qui ad priores Annos leviora, & minuſcula ad Eccleſiam ſuam Cremonenſem pertinentia commemorat, ſilentio præteriiſſe Sancti Viri mortem, miraculorum famâ circumquaque vulgatam, & Cremonenſis Eccleſiæ faſtis jure accenſendam, ſi ea contigiſſet circa ejus tempora, ac præſertim paucis ante S. Homoboni obitum annis; quapropter mirari ſubit, quàm fidentèr Joſeph Breſſianus in Vita S. Alberti cap. 16. ſcribat, Sicardum cum ſuo

Ca-

Capitulo exequiis B. Alberti interfuiſſe, miracula admiratum eſſe, ejuſque Canonizationis acta confeciſſe.

II. In Brevi Chronico Cremonenſi Authoris Anonymi edito Tom. 7. Rer. Italicar. Script. pag. 631., & deducto ab A. 1096. uſque ad A. 1232. altum eſt de B. Alberto ſilentium, quamquàm & S. Homoboni, & translationis Corporum Sanctorum Archelai, & Himerii mentio fiat. Porrò Scriptorem illum vel ignoraſſe, vel ſilenda duxiſſe crebra, atque illuſtria miracula, quæ ad B. Alberti Sepulcrum ſtatim ab ejus morte univerſæ Langobardiæ gentes vocarunt, ne injectâ quidem tanti Viri mentione ab Hiſtorico, qui eâdem in Civitate, eademque circa tempora floruit, quibus ille denatus eſt, nemo prudens adfirmaverit.

III. In Martyrologio MS. Capituli Cremonenſis exarato uſque ab Anno 1181. quod ſervatur in Archivo ejuſdem Capituli ex dono cujuſdam Alberti Presbyteri, multæ leguntur additiones Sanctorum, qui XII. & XIII. Seculo floruerunt; nullum tamen ibi legitur S. Alberti nomen, nullum ejus mortis documentum; quamquàm prælaudatus Albertus Presbyter mortem obierit A. 1208., uti ad

cal-

calcem ejuſdem Martyrologii notatur, cui adjectum eſt Necrologium deſinens in Annum 1270.

CAPUT IV.

Quis Author falſæ Epochæ emortualis S. Alberti, & quæ erroris occaſio.

NUllum invenimus Scriptorem, qui ante M. Antonium Benaleum Bergomenſem S. Alberti mortem anteferat ad Annum uſque 1190. Scripſit ille de Vita, & rebus Geſtis SS. Bergomenſium Commentarios, quorum fides, & authoritas quanti habenda ſit, paucis videamus.

I. Monet P. Donatus Calvi Auguſtinianæ Congregationis Langobardiæ Scriptor ſatis eruditus in Ephemeride Sacro-profana Bergomi Tom. 2. pag. 629. laudatum Benaleum *Devoti* nomine vulgo indigitatum, floruiſſe Seculo XVI., nimirum circa A. 1550. is autem morte præventus Commentarios ſuos imperfectos reliquit, nec uſquam typos viderunt. Illos tamen Antonius Canonicus Guarnerius ex Decreto Dominorum Decurionum Bergomenſium diligentèr expolitos, & auctos Bergomi

A.

A. 1584. typis evulgavit; nihilominùs in præfatiuncula proluſoria diſſerens de præfato Benaleo, ejuſque Commentariis, hæc habet: „ Sed tamen quòd Is ante nobis ereptus eſt, „ quàm extrema manus acceſſiſſet, ejus opus „ tam a perfectione aberrat, ut non ſolùm „ multa corrigenda, plurima tollenda, alia „ addenda fuerint; ſed etiam totius rei ordi- „ nem mutare coactus ſim; quod ille ſine „ dubio præſtitiſſet, ſi in longiores Annos vi- „ tam traduxiſſet. „ Verùm in Guarnerii Opere hujus S. Alberti Vita deſideratur.

Hoc idem animadverterunt Bollandi Continuatores in Vita S. Alberti ad diem 7. Maji; ſed eo conſilio a Guarnerio omiſſam S. Alberti Vitam ſuſpicantur Bollandiani, quòd S. Albertus tametſi Bergomenſis, in alieno ſolo, hoc eſt, Cremonæ denatus eſt. At hæc conjectura levis admodum videtur, cùm eodem in opere Guarnerius de S. Barnaba diſſerat, quanquam nec Bergomi ortum, nec ibi Sepulcrum habuerit, ſed quòd vulgò feratur Bergomenſes ad Chriſtianam Fidem ejus operâ, & prædicatione converſos. Quare crediderim potius Vitam S. Alberti a Benaleo incurioſè ſcriptam, ac rebus dubiis, falſiſque refertam, quòd Guarnerio minus probaretur, conſultò,

pru-

prudenterque ab illo prætermiſſam; quinimò, ſi fides adhibenda eſt eruditis Viris, Canonico Martino Antonio Guerinio, & Doctori Jo. Baptiſtæ Angelinio Bergomatibus, ac impræſentiarum Patriæ Hiſtoriæ conſultiſſimis, poſt editam a Bartholomæo Pellegrino Vineam Sacram Bergomenſem A. 1553., & laudatum Opus Guarnerii, Benaleani Commentarii nullibi hodie reperiuntur.

II. Bartholomæus de Pellegrinis Presbyter Bergomas in Vinea Sacra Bergomenſi, quam vulgavit A. 1553. ex Commentariis Benalei, quos in eo Opere laudat, emortualem S. Alberti Epocham ab illo hauſit, & adoptavit. Igitur ante hos rerum Bergomenſium Scriptores neminem vidimus, qui mortem S. Alberti ad finem referat Seculi XII. eique ſynchronum faciat S. Homobonum.

III. At Bartholomæi de Pellegrinis fidem elevant duo ex ipſius Concivibus, & Hiſtoricis; prælaudatus Martinus Antonius Guerinus, qui non ſemel Pellegrinum circa annorum Chronologiam erraſſe demonſtrat; quippe pag. 54. ſuæ Eccleſiaſticæ Synopſis hæc ſcribit: „ Notandus hic magnus anachronyſmus „ Auctoris noſtri Pellegrini, dum ſcripſit, Reginam Teutpergam, ſeu Teutbergam, vi-

„ xiſſe

„ xiſſe in Diœceſi noſtra Seculo X., cùm non
„ eſſent Auctori nota conciliabula prædicta, *tria*
„ *nempe Aquiſgranenſia*, & Bullæ Pontificis Ni-
„ colai *Primi*; imò ad tollendum Anachroniſ-
„ mum, Vita, & Geſta Piæ Reginæ clauden-
„ da ſunt in decurſu Seculi antecedentis, &
„ corrigendus ipſe Pellegrinus p. 2. Vineæ
„ cap. 16. „ Deinde accuratior P. Cœleſtinus
p. 2. vol. 2. lib. 17. agens de S. Alberto Fundatore, & primo Abbate Monaſterii Pontidæ animadvertit, Barth. Pellegrinum in hiſt. hujus S. Abbatis in plures, ingenteſque chronologicos errores incidiſſe. Primò, ſi Hugo Septimus Abbas Cluniacenſis Bergomum petiiſſet, ut monaſticum Cucullum, & Regulas impertiretur Pontidenſi Alberto, apud quem A. 868. Teutperga ab Aulâ diverterat, ut tradunt Bergomenſes; (*a*) & Hugo lucis uſuram amiſerit A. 1109., conſequens eſſet, hunc Abbatem pluſquàm ducentos annos vixiſſe. Secundò, ſi idem Pellegrinus Epocham mortis Teutper-

gæ

(a) *Teutpergam Reginam Lotharii Uxorem Bergomum non veniſſe; benè verò Romam acceſſiſſe A. 867., & ab Adriano Secundo in Gallias remiſſam, ejuſdem Pontificis literæ teſtantur. Idcirco Bergomenſes Scriptores allucinantur, dum Teutpergam, quæ apud Pontidæ Abbatiam moram traxit, Reginam eſſe immeritò jactitant; ut ex Annalibus Eccleſiaſticis colligi poteſt.*

gæ adnotavit ſub A. 1047. nono Calendas Auguſti, fas eſt ipſam apud Abbatias S. Ægidii de Fontanella, & Pontidæ vixiſſe annis 179. & ducentum quoque ætatis ſuæ ſuperaſſe. Tertiò, incredibilis emergit contradictio in eodem Auctore Critices imperitô; quia cùm aſſeruerit, Teutpergam diem extremum obiiſſe poſt Sanctum Albertum, ſecum manifeſtè pugnat; nam mortem Alberti Abb. refert ad A. 1095., & Teutpergæ ad A. 1047. Quàm ſint ſubleſtæ fidei (non ad invidiam, ſed ad veritatem detegendam ſint dicta), & quot abſurdis Guarnerius, de Pellegrinis, & Mutius ſuas conſperſerint hiſtorias, referentur loca ex Cœleſtino collecta *in Summ. num. IX.*

IV. Benalei, & de Pellegrinis veſtigia preſſerunt ſequiores Hiſtorici, qui de S. Alberto quidpiam ſcripſere; nimirùm Marius Mutius, qui inter Vitas SS., & BB. Bergomenſium Italicè cuſas A. 1614., & recuſas A. 1621. Vitam edidit S. Alberti, ſeu veriùs paraphraſim eorum, quæ de Illo Pellegrinus compendiô ſcripſerat. Qua de cauſſa in eoſdem immanes Chronologiæ errores lapſus eſt, ac in alium abſurdiorem, narrans S. Homobonum præcipuum fuiſſe Cremonæ Dynaſtam, penès quem moderandæ Civitatis reſidebat

debat auctoritas A. 1080., quo S. noſtrum Albertum illuc perveniſſe oſcitantèr adſtruit, & apparatu ſatis ſplendido ab Homobono exceptum, etiamque inter Aulæ Magnates honorifico loco, ſi annuiſſet, habendum. Cùm extra omnem aleam S. Homobonus mercatoriam artem exercuerit, uti apud omnes Scriptores Cremonenſes, & in Lectionibus a S. Sede pro ejuſdem Feſto approbatis enunciatur, *ut in Summ. n. X.* P. Donatus Calvi in Ephemeride Sacro-profana edita Mediol. 1676. p. 2. pag. 26. nobis minimè obeſt; quia abſque Scriptorum delectu dictam concinnavit lucubrationem, & ſuam opinionem de Epocha mortis S. Alberti a præcitatis turbidis fontibus hauſit.

V. Et forſan, cùm ad eoſdem combiberint fontes, in eamdem ferè abiere ſententiam Exotici, ſeu non Bergomenſes Scriptores = Antonius Campi in Hiſtoria Cremonenſi edita A. 1583. pag. 26., tametſi mortem S. Alberti ad An. referat 1195., laudans Pellegrinum, quem in hac parte emendare videtur = Petrus Maria Campi in Hiſt. Placentina ibidem edita A. 1651. Tom. 2. lib. 15. pag. 77. erroris inſimulans Chronicon MS. Placentinum ſuperiùs laudatum, quòd Annum emor-

 tua-

tualem S. Alberti affixerit A. 1279. = Pellegrinus Merula in Sanctuario Cremonenſi edito A. 1627. = Bollandi Continuatores ad diem 7. Maji ex Pellegrino, & Mario Mutio non ſatis excuſſis, quorum alterum ſecutus eſt etiam P. Philippus Ferrari in Catalogo Sanctorum Italiæ edito Mediolani 1613., & Venetiis 1625.; qui tamen celeberrimus Auctor fol. 353. loquens de Alberto Abbate Pontidenſi obſervat, a quibuſdam hunc cum Alberto, *videlicet noſtro*, qui Cremonæ, ubi obiit, colitur, confundi; ſed maxima, inquit, diverſitas inter eos præſertim circa tempus contingit, ut eorum Geſta, & Vita ſatis declarant = Joſeph Breſſianus Cremonæ Hiſtoricus in Vita S. Alberti ſecundò edita Cremonæ 1667., ac demum Franciſcus Ariſius Tom. 1. Cremonæ Literatæ pag. 94. ad A. 1194.; quanquàm in Opere ſuo poſteriori *Prætorum Cremonenſium* errorem emendaverit, ut ſupra monuimus.

VI. Anachroniſmi hujus cauſſam ſi quis diligentiùs exquirat, non aliam fortaſſe inveniet, quàm quòd ſequiores Hiſtorici apud Pellegrinum, & Mutium legerint, Sanctum Homobonum interfuiſſe funeri, & ſepulturæ B. Alberti, ejuſque ſocium in vita fuiſſe. Itaque cùm S. Homobonus deceſſerit A. 1197., planè

nè conſequitur præmortuum illi S. Albertum fuiſſe.

VII. Sed Bergomenſium Scriptorum pace, ad Græcas fabulas amandanda eſt ea S. Homoboni præſentia, ejuſque cum B. Alberto convictus, amicitia, conſuetudo; nullum quippe hujus rei veſtigium apud eos, qui Sancti Homoboni vitam, & geſta ſcripſere, antequam Vinea Sacra Bartholomæi Pellegrini in lucem prodiret. Videri poſſunt Petrus de Natalibus, Odoricus Raynaldus, Petrus Ribadeneira in Vita S. Homoboni, Bulla ejuſdem Canonizationis, & quæ exſtant apud Cl. Ariſium in Antiquo Officio S. Homoboni edito, ut ex characteribus conjici poteſt, ſub Artis typographicæ initium, hoc eſt Seculo XV., Lectiones numero novem recitandæ in ejus Feſto, tum aliæ ſeptemdecim per Octavam cum Antiphonis, Reſponſoriis, & Sequentiâ ex ejus vita depromtis, in quibus ne nomen quidem S. Alberti occurrit; ſicut neque in Officio edito ſub Jo. Baptiſta Brivio Epiſcopo Cremonenſi A. 1617. a Sac. Rituum Congregatione approbato. His addi poteſt S. Homoboni Vita Latinè edita A. 1570., & Nicolao Sfondrato Epiſcopo a Canonicis Cremonenſis Eccleſiæ nuncupata; moxque Italicè reddita

a Jo. Baptiſta Gallina eodem Anno Cremonæ edita apud Chriſtophorum Draconi, ubi nulla mentio S. Alberti.

VIII. Primus, qui in Vitam S. Homoboni publici juris factam A. 1618. B. Albertum intruſerit, videtur fuiſſe Hieronymus Tromboni, quem ſecutus eſt Paulus Botti C.R. in vita illius, Patavii edita A. 1674., aliique poſt ipſum, quos malè cuſam fabellam non aliunde hauſiſſe crediderim, quàm ex Benaleanis Commentariis a Pellegrino vulgatis. Si in re planè obſcurâ conjecturis ſit locus, facilè ſuſpicor, quòd cùm funeri, & ſepulturæ B. Alberti præſens pingatur B. Gherardus minùs S. Homobono compertus, & clarus, hunc vulgo pro altero acceptum Hiſtorici obtruſerunt. Aut etiam relati Bergomates Hiſtorici, cùm legerint, quòd alter Albertus Pontidæ Abbas, ut præſertim Guarnerius in ejus Vita, poſtquam ex magno, & periculoſo vulnere in prœlio reportato convaluit, emiſſum Religionis ſubeundæ votum perſolverit; inde Henricum quendam Cremonenſem ſummâ in Deum pietate præditum, cœleſtium ſuarum exercitationum, laborumque Socium ſibi adjunxerit, & in Abbatialem dignitatem, ipſo demortuo, Succeſſorem proximè habuerit, de facili ob utriuſ-

utriuſque nominis, & quorumdam geſtorum Analogìam, alterum Comitem Cremonenſem noſtro Alberto copulaverunt, nominis etiam pari litera initiali *H.* decepti, & Homobonum fuiſſe falsò arbitrati ſunt. Hinc Albertus Pontidenſis mortuus Anno 1095. dedit Adverſariis locum aſſerendi, quòd noſter Albertus denatus ſit A. 1190. aut 1195., ut ſupra ſcribit Antonius Campi. Quamobrem utriuſque Alberti geſtorum confuſionis meritò conqueſtus eſt ſuperiùs commendatus Ferrarius.

IX. Sed & S. Alberti aliquod geſtum temporibus S. Homoboni cohærere, & cum Epocha Seculi XII. conciliari vix poteſt. Nam Cavitellus in Annalibus Cremonenſibus ad A. 1279. ſcribit, B. Albertum patrium Aonii, ſeu Villæ Oneæ ſolum dereliquiſſe ob moleſtias ei a Suardis illatas; Joſeph verò Breſſianus ob eandem cauſsam, ſuppreſſo Suardorum nomine, Cremonam illum veniſſe ſcribit A. 1156. At ſi ſtatuamus, B. Albertum e Patriâ Cremonam profectum ob Suardorum perſecutiones circa A. 1256. meliùs Hiſtoricæ fidei tempora reſpondebunt, ac rei geſtæ convenient. Nam reipſa circa ea tempora ob Guelphorum, ac Gibellinorum factiones, quæ tunc maximè

Italiam diſcerpebant, Suardi Gibellinorum partes ſecuti inter Bergomenſes potentiores evaſerant, ut videri poteſt in Chronico Caſtelli Gibellini Tom. 16. Rer. Italic. Scriptor. & in Supplemento Chronicorum P. Jacobi Philippi Bergomatis lib. 13. pag. 230. qui ſub A. 1234. ſtatuit initium Gibellinorum, & Guelphorum. Quinimò Guilielmus Ventura teſtis ocularis in Chronico Aſtenſi Epocham factionum iſtarum poſt obitum Friderici Secundi, nempe poſt A. 1250. aſſerit. Tom. 11. Rer. Italicar., & in Notis Sigonii Tom. 2. lib. 13. pag. 751. poſtremæ editionis. Non me latet Sanſovinum de Illuſtribus Italiæ Familiis agentem, Suardorum familiam Argentorato oriundam, Bergomi potitam, dominatum ibidem obtinuiſſe A. 1154. fidenter adfirmare: Id tamen ab optimis Criticis, rerumque Bergomenſium peritis omninò improbatur, atque rejicitur; undè minùs aptè ad ea tempora Suardorum perſecutio in Albertum noſtrum refertur.

X. Præterea ab eodem Breſſiano cap. 11. Vitæ S. Alberti narratur, in Padi trajectione ſiccis veſtigiis ab eo facta, tanti miraculi ſpectatores, ac teſtes duos Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſores adfuiſſe. Non imus

infi-

inficias, Ordinem illum inſtitutum fuiſſe A. 390. circitèr, ex Jacobo Philippo Bergomenſi in Supplemento Chronicorum lib. 9. pag. 162. ſub eodem Anno. Verùm dictus Ordo per Europam ſub multis nominibus diffuſus ex eodem Auctore ibidem pag. 163. in unum deinde, ut inchoaverat Innocentius Quartus, perfectè collectus fuit ab Alexandro Quarto ſub nuncupatione Eremitarum S. Auguſtini, dato Diplomate 8. Kal. Martii A. 1255., ut habetur apud eundem lib. 13. pag. 232., cui conſentiunt S. Antoninus part. 3. hiſt. tit. 24. cap. 14. & Sigonius Tom. 2. lib. 19. pag. 1019. Cremonæ autem illius Ordinis Eccleſiam, atque Cœnobium intra Civitatem ſub Cacciaconti Summo Epiſcopo Cremonenſi erecta fuiſſe A. 1261., vel paucis ante annis, aſſociatis Fratribus nuncupatis Pauperibus Catholicis, unà cum Eremitis D. Auguſtini ex P. Torello in Annalibus Auguſtinianis Tom. 4. fol. 662. certum eſt, ac exploratum. Quare, ſi illius miraculi teſtes adhibeantur Fratres Eremitani D. Auguſtini, id Seculo XII. contigiſſe, adfirmari non poteſt; ſecus, ſi traſferatur ad Seculum XIII., quo S. Albertum vixiſſe contendimus.

CA-

CAPUT V.

Sanctum Albertum Fratrem de Pœnitentia, ſeu Tertii Ordinis S. Dominici fuiſſe oſtenditur.

I. BOllandi Continuatores ex Bartholomæo Pellegrino exſcribunt, S. Albertum *nulli Fratrum Religioni addictum fuiſſe*. At rei, quam abſolutè pronunciant, & adfirmant, nullum adferunt Argumentum, minimè ſervatâ Juris regulâ: Qui dicit, probare debet (Gloſſa verb. dicatur in l. 1. in princ. §. Si quadrupes, Cap. dilecti de Exceptione): Nihilominus ex hac ipſa Exceptione inferri poſſe mihi videor, Pellegrini ævo famâ aliquâ, hominumque opinione pervulgatum fuiſſe, S. Albertum religioſo alicui Inſtituto nomen dediſſe; alioquin quæ cauſſa ſuberat, aut neceſſitas apponendi exceptionem illam, ſeu monitum in hiſtoria admodum brevi, aliiſque circumſtantiis deſtitutâ? Niſi Pellegrinus iis verbis indicare dumtaxat voluerit Clauſtralem, ſeu votis obſtrictam religioſam vitam B. Albertum minimè egiſſe, quod ultrò concedimus. Religioſum tamen intra domeſticos lares ex iis, quos de Pœnitentia vocant S. Domi-

minici, illum fuiſſe multa evincunt.

II. Ac primò quidem *Fratris* nomine indigitatum illum videmus in Chronico Parmenſi, ubi Hoſpitale Parmæ Inſtitutum ex eleemoſynis ejus Imagini oblatis, vocatur *Hoſpitale Fratris Alberti*. In Summ. n. I.

III. Eodem nomine appellatum legimus in tribus Statutis Cremonenſibus, quorum duo in Archivo ſecreto, tertium in publico ejuſdem Civitatis ſervantur. In Statuto Anni 1349. pag. 26. tergô, ubi agitur de Oblatione Pallii, ac Intortitii facienda in variis Solemnitatibus, ac Feſtis, additur: *Et Fratris Alberti in Eccleſia S. Matthiæ Cremonæ*. Idem habetur in Statuto A. 1356. pag. 85. rubrica de Feſto B. V. M. celebrando, & Oblationibus faciendis; & ſimiliter in Statuto A. 1388. pag. 88. tergô. Porrò *Fratrum* nomine in prælaudatis Statutis ſemper appellantur ſoli Viri Religioſi alicujus Ordinis Regularis. Et in libro ſignato *B.* exſtante in Archivo ſecreto ejuſdem Civitatis plura occurrunt Locationum, Tranſactionum, Inſtitutionum, Monumenta ab Anno 1292. ad A. 1327., quæ factæ dicuntur nonnullis *Fratribus*, quos ex ipſa Inſtrumentorum ſerie conſtat fuiſſe, aut Converſos, aut Fratres de Pœnitentia. Exempli

pli cauſsâ, ad A. 1293. ab Abbatibus Telonii Cremonenſis locatur quidam locus, dictus *del Ceppo*, cuidam Fratri Lanfranco de Roncadellis converſo, appoſitâ hac conditione, *quòd dictus Frater Lanfrancus non poſſit locare domos dicti Ceppi alicui, ſeu aliquibus Scholaribus, neque alicui ſeculari Perſonæ*. Horum Fratrum Converſorum de Pœnitentia fit etiam mentio in Necrologio, quod eſt ad calcem præmemorati Martyrologii Cremonenſis deſignatâ emortuali illorum die, atque eorum præſertim, qui Cathedrali Eccleſiæ inſerviebant, inter quos laudatur Frater *Antonius Converſus*, qui libros in Secretarium deferebat.

IV. Igitur cùm Fratris nomen per ea tempora iis dumtaxat tribueretur, qui vel eſſent alicui Ordini addicti, vel ad Deum converſi pœnitentem, ac religioſam agerent vitam, inſerviendo Eccleſiis, vel Hoſpitalibus, aut demum in privatis domibus Fratrum de Pœnitentia Inſtitutum profiterentur, planè conſequitur, hoc tantùm poſtremô titulô B. Albertum Fratris nomine vocari potuiſſe. Jam verò ad id probandum accedamus proximiùs. Ita nomen Fratris S. Albertus geſſit, ut ejuſdem Succeſſores in miniſtrando Hoſpitali, ab ipſo, ut fertur, erectô Cremonæ, aliquo tempore

pore

pore Fratres nuncuparentur; uti compertum eſt in veteri marmoreâ Inſcriptione, quæ adhuc in domo, in qua fuerat olim idem Xenodochium, ſervatur, cùm in iſta antiquis caracteribus exaratum inſpiciatur: *Hoc Opus fieri fecit Frater Ambroſius Miniſter Hoſpitalis S. Alberti A.* 1347., & ex pluribus Inſtrumentis exſiſtentibus in Archivo magni Hoſpitalis S. Mariæ Pietatis Cremonæ; namque in uno recepto die 28. menſis Januarii A. 1415. nominatur *Frater Julianus filius qu. Tedoldi de Gualenghis Miniſter, & Rector Hoſpitalis S. Alberti Cremonæ*; & in altero diei 17. menſis Octobris A. 1421. leguntur ſequentia verba: *Cùm Frater Julianus de Gualenghis olim Miniſter Venerandi Hoſpitalis S. Alberti Cremonæ, nomine, & vice dicti Hoſpitalis inveſtiverit &c.* Summ. num. XI.

V. Tertium Ordinem S. P. Dominici approbatum a Gregorio Nono A. 1235. ut videre eſt in Bullario Ord. Prædicatorum Tom. 7. pag. 11. in Italia cum primis valde propagatum floruiſſe circa A. 1270., multoſque Fratres de Pœnitentia nuncupatos in propriis domibus vixiſſe conſtat ex Bulla Gregorii X., quæ incipit: *Nimis patenter*; Tom. I. Bull. Ord. Præd. pag. 536. ubi inter alia Pontifex hæc

hæc habet: *Nonnulli de præſentibus vitæ noviſſima ſua providè memorantes, derelictis Seculi vanitatibus, Pœnitentiam in corde contrito, & humiliato ſpiritu agere in domibus propriis, vel alibi ſtatuerunt.*

VI. Hujuſmodi verò fuiſſe S. Albertum tradunt optimæ notæ Scriptores. Fatemur equidem, nullum Antiquiorem reperiri Authore Anonymo Legendæ MS. jam ſervatæ in Archivo Eccleſiæ S. Matthiæ, qui diſertiùs id adfirmaverit; quanquam quo tempore floruerit Author ille, exploratum non ſit. Nam Jacobus Pochetti illius Eccleſiæ Rector eam reperiſſe teſtatus eſt in Sacrario præfatæ Eccleſiæ A. 1587., antiquitatem tamen ejus omninò ſilet apud P. Feſtam *in Summ. n. V.* Sed cùm res in eo Documento narratas accepiſſe tradat a Bono Lamo Prædeceſſore ſuo, qui vixit A. 85., non temerè, ſed aliquâ traditione MS. ipſo Antiquiore ea omnia, quæ narrantur, firmata eſſe credendum eſt. Cui Legendæ concinit Narratiuncula ſupra citata apud Parochum Villæ Oneæ, probans ex vetuſtiſſima Imagine S. Alberti, ipſummet Tertio Ordini S. Dominici nomen dediſſe.

VII. Hoc idem adteſtatur Ludovicus Cavitellus Patriæ Hiſtoricus in Annal. Cremonen-

nen-

nenſibus ad A. 1279., quem exhibemus *in Summ. num. VII.*

VIII. Idipſum tradunt Pellegrinus Merula in Sanctuario Cremonæ pag. 121., Franciſcus Ariſius in Cremona Literata ad A. 1194., quanquam utrique Scriptores anachroniſmo laborent in conſignanda Epocha emortuali S. Alberti, ut ſupra monuimus; Ariſium tamen ſe poſtmodum emendaſſe.

IX. P. Magiſter Fr. Petrus Martyr Feſta Urceanus Ord. Prædicatorum, Conventus Cremonenſis Alumnus, qui fuit Inquiſitor Bononienſis, & Provinciæ utriuſque Langobardiæ Prior Provincialis, necnon Scriptor egregius, cujus meminit Rovetta in Bibliotheca ad A. 1609., in parvo Chronico MS. præfati Conventûs Cremonenſis, ſervato in ejuſdem Archivo, narrat ſe vidiſſe apud Rectorem Eccleſiæ S. Matthiæ prælaudatam Legendam MS., in qua, præter ea, quæ de S. Alberto ſcribit Cavitellus, nonnulla ejus Miracula deſcribuntur; in calce verò ejuſdem MS. hæc habentur: „ Conoſcendoſi Fra Alberto vicino a
„ morte, voleva eſſer ſepolto nella Chieſa
„ di S. Guglielmo, nella quale abitavano i
„ Frati di S. Domenico, dalli quali era ſolito
„ confeſſarſi, eſſendo dell'iſteſs'Ordine, ben-

„ chè

„ chè Terziario , di quelli però che non ſta-
„ vano nelli Chioſtri , ma in Caſa ſua „ ec.
Erat S. Gulielmi Eccleſia , quam primò conceſſit FF. Prædicatoribus Homobonus Madalbertus Epiſcopus Cremonenſis, extra Portam Civitatis Pullicellam, & vulgo *de' Tintori* nuncupatam , ab Eccleſia S. Syri , vel S. Sepulcri parum diſſita , cui proxima eſt Eccleſia S. Matthiæ . Igitur, cùm propè illam S. Albertus domicilium ſelegerit, non leve argumentum eſt, id feciſſe , ut apud ſui Ordinis Fratres officiis, rebuſque divinis vacaret commodiùs in eorum Eccleſia , quam frequenter adire ſolitum ſcribunt Cavitellus , Merula , & Joſeph Breſſiani in Vita cap. 5.

X. Præterimus poſteriores Scriptores, præſertim Ord. Prædic., ne domeſticis utamur teſtibus , qui ferè poſt Cavitellum ſcripſere, atque ab illo rem totam ſumſiſſe credi poſſunt. Omittere tamen non debemus veterem , nec contemnendam traditionem , quæ apud Cremonenſes, & Bergomenſes viget: Vini nempe Portitores , quibus perſuaſum eſt S. Albertum Artis illius Patronum , Eremitam (ut ajunt) S. Dominici fuiſſe ; adeò inſedit illis opinio alicui S. Dominici Inſtituto, quod proprio nomine appellare neſciunt, S. Albertum addictum fuiſſe .

CA-

CAPUT VI.

Idem probatur ex antiquis Iconibus, ſeu Imaginibus S. Alberti.

I. JOſeph Breſſianus in Vita S. Alberti eum exhibet inſtar Tertiarii Dominicani, qualem deſcripſerat Cavitellus, ac referebant ejus Imagines in Eccleſia Sancti Matthiæ olim depictæ. Sed in eo allucinatur Scriptor non ſatis accuratus, quòd Tunica talari nigri coloris, & Pallio, ſeu Cappa griſea, aut ferruginea indutum proferat, cujuſmodi Fratrum Tertii Ordinis S. Dominici veſtes fuiſſe, nemo unquam adfirmavit. At eâ modificatione fortaſſe uſus eſt, ut putidum vitaret anachroniſmum, in quem lapſus omnino foret, ſi B. Albertum Tertii Ordinis Sancti Dominici Fratrem abſolutè pronunciaſſet, cùm ejus mortem conſignet ad A. 1190.

II. Rectiùs Author Anonymus Legendæ MS. Eccleſiæ S. Matthiæ, & alter Legendæ apud Eccleſiam Parochialem Villæ Oneæ, Cavitellus, Merula, aliique abſolutè dixerunt, S. Albertum Tertii Ordinis S. Dominici Fratrem; quod profectò non adfirmaſſent abſque Traditione, vel Documentis, & cum primis,

niſi ejus Imagines conſpexiſſent albâ Tunicâ, & Cappâ nigrâ, ſeu griſeâ depictas, qualem eſſe prædicti Ordinis habitum, minimè ignorabant.

III. Totum hoc latè panditur adeuntium oculis in vetuſtiſſima, & ampla Tabella, quæ quaſi ad miraculum præſervata in cubiculo propè Eccleſiam S. Alberti Villæ Oneæ, ſplendidè exhibet ſervum Dei albâ Tunicâ indutum cum Cappa griſei coloris genuflexum ad limen Monaſterii S. Gulielmi coram duobus Religioſis habitus antiquæ Obſervantiæ S. P. Dominici, cujus picturæ antiquitas comprobatur eſſe ſaltem Seculi XIV. ex coloribus oleo non diſſolutis, ſed in tela gypſo linita appoſitis. Nam ex Vaſario, Morerio in verb. *Antonio di Meſſina*, & ex Dictionario Gallico Artium, & Scientiarum Tom. 2. Artem adhibendi oleum in pingendo, dicto quartodecimo Seculo originem duxiſſe traditur a Jo. Brugenſi Pictore Belgâ, cujus diſcipulus fuit Antonius Meſſanenſis, qui hanc Artem in Italiam invexit, & floruit circa A. 1430. Ac etiam patet ex formâ Veſtium, quæ apparet in dictis Religioſis, cùm hæc ſit primævæ Inſtitutionis, habeatque parvum Caputium Cappæ tunicâ breviori adſutum, & penè abſque pallio-

liolo. Inſpicitur inſuper in eadem Tabella Monaſterium S. Gulielmi extra Urbem Cremonæ affabre delineatum, quod certè Seculo XV. ſolo æquatum eſt, ut ex Hiſtoricis Cremonenſibus: Epiſtola Summo Pontifici porrecta a Miniſtro Provinciali, & Deffinitoribus Provinciæ Brixienſis Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ allatam Tabellam magnoperè commendat *Summ. num. XII.*

IV. Idipſum cumulatè adſtruitur ex variis Imaginibus depictis in Valle Seriana, & potiſſimùm in Villa Oneæ. Una adeſt in Communi Nazulino Vallis Serianæ Superioris in ſtructili columna, quæ S. Albertum repræſentat ſuperindutum candidâ Veſte, & Cucullo albo, in qua antiquis caracteribus notatur A. 1488. die 4. Auguſti Imaginem hanc fuiſſe depictam. Altera ſuper murum e regione Eccleſiæ Monialium S. Claræ in Terra Cluſoni, quæ exhibet dictum S. Albertum ſubindutum Veſte quidem caſtanei coloris ruſticum Virum indicante, ſed Scapulari albo coopertam, tenentem in manu dextera coronulam precariam, & in ſiniſtra baculum viatorium, cum duplici pileolo, ideſt, intimo coloris caſtanei, & extimo coloris albi, cum laureola ſuper caput inaurata, & æra pictionem denotante Roma-

nis caracteribus MD. *Vid. Summ. num. XIII.*

V. In Villa Oneæ conſimiles, quinimò magis expreſſivæ ſupralaudati Tertiariatus Sancti Alberti Imagines elucefcunt; videlicet, una ſupra murum Domus Morotti A. 1515., altera in Domo de Cedronis A. 1518., aliæ in Tabella ſupra Suggeſtum, in obſoleto Vexillo, & in perantiquis ex corio aulæis Parochialis Eccleſiæ ejuſdem Villæ; & omnia ferè picta anathemata in Eccleſia S. Alberti apud Fratres Min. Reform. ejuſdem Villæ exhibent S. Albertum ſuperveſtitum albâ Tunicâ. Ita quoque Statua nunc ſuper Aram Majorem præfatæ Parochialis Eccleſiæ in ligno, ut conſtat, pervetuſtè exſculpta, cui correſpondet Statua S. Matthæi Eccleſiæ Titularis, verùm rubro, non ut altera albo colore delibuta; quæ Simulacra exſtabant ab A. 1481. ſuper vetus Tabernaculum ex Decreto ademptum. *Summ. num. XIV.* Qua de re in Domibus Accolarum Vallis illius Superioris conſpiciuntur quamplures Imagines noſtri Sancti cum Toga candida, & Pallio gilvi, ſeu vinati coloris; ſicut etiam Bergomi palàm defertur a Vini Portitoribus in ſolemnibus precibus Labarum ſimili Imagine decoratum, & ævo ferè conſumptum, ut ex Proceſſu illic confecto. Hinc certiſſi-

ma

ma perſeverat Traditio apud Vallenſes illos, S. Albertum Tertii Ordinis S. Dominici Religioſum fuiſſe.

VI. Igitur extra omnem dubitationis aleam res debet eſſe etiam Cremonæ, nedum ob ſupradicta, ſed ob veteres, ſi adhuc ſupereſſent, S. Alberti Imagines, Iconeſque in Eccleſia S. Matthiæ; cùm Auctor Legendæ Villæ Oneæ apertè fateatur, in hac Eccleſia ſe vidiſſe Imaginem vetuſtiſſimam noſtri Sancti in prælaudato Tertiarii habitu. Hinc ibidem recentiores, quæcunque ſint, ab A. dumtaxat 1652. apparerent ex voluntate, non veritate depictæ. Nihilominus adhuc duæ viſuntur; prima apud Parochialem S. Viti in Tabella depicta uno ab hinc Seculo cum dimidio, juxta peritos, cum lemmate: S. ALBERTVS BERGOMAS, qui in ea indutus eſt Tunicâ albâ, & Pallio nigro, & ex ejus ore prodeunt hæc verba (ab eodem ſæpiſſimè uſurpata) *O Re di Gloria*, in faciem Crucifixi prolata; altera in Monaſterio S. Dominici conſimili ferè modo expreſſa; ſed verba illa proſiliunt in quoddam cœleſte lumen, in quo inſpicitur grandævus Senex, Æternum Patrem repræſentans, veluti in amplexum Beati Viri corruens.

VII. Ligneum S. Alberti Simulacrum perantiquum, quod paucis abhinc annis in Eccleſia S. Matthiæ viſebatur, & nunc apud Hæredes exſtat Joannis Coccalvæ, quanquam Tunicâ nigri coloris recentiùs ſupratinctum appareat, factâ tamen a Peritis diligenti exploratione, ſub nigro colore albus detectus eſt auro vermiculatus, quo Tunica ipſa jam pridem depicta fuerat. Et Cl. Ariſius teſtatus fuit, ſimilem apud ſe habuiſſe Iconem S. Alberti albâ Tunicâ auro diſtinctâ, quæ in funeſto, & lacrymabili ejus Domus incendio periit An. 1727. Ex quo emergit, inſcitiâ, aut oblivione, & incuriâ rerum antiquarum, quas aliqui parva habebant in æſtimatione, mutatam fuiſſe Epocham, & aliquando Veſtium colorem, quod priſtinæ tamen veritati nocere nequit.

VIII. Nec quempiam movere debet, in aliquibus hujuſmodi picturis S. Alberti Pallium, ſeu Cappam ferruginei apparere, ſeu vinati coloris; id enim, vel Pictorum licentiæ, atque inſcitiæ tribuendum eſt; vel id factum ab illis eſt accipiendum, quòd Veſtes, quibus Fratres de Pœnitentia utebantur, ejuſdem eſſent coloris, ac veſtes ceterorum Fratrum Prædicatorum juxta illorum Regulam confirmatam a Gregorio Nono A. 1235. Monet

net autem Cl. Eccard. Tom. 1. Scriptor. Ord. Præd. Diſſert. 2. *De antiquis Ord. Præd. Veſtibus*, primo Ordinis Seculo Cappâ griſei, ſeu vinati coloris Fratres uſos fuiſſe; & Malvenda in Annalibus Ordinis ad A. 1231. pag. 486. obſervat, præfatum colorem Fratribus Converſis adhibendum eſſe in Cappis loco nigri, quo Clerici utuntur juxta Conſtitutiones Ordinis Cap. de Converſis §. 3., & Capitula Generalia deinceps celebrata ad Annum fermè 1300.; undè credibile eſt eum colorem in B. Alberti pallio Pictores expreſſiſſe, quem prioribus Ordinis Seculis Fratres Converſos adhibuiſſe in Cappis obſervarunt.

IX. Neque hìc fortè officit, P. Cœleſtinum ſupracitatum in ſua Hiſt. Tripartita, nec apicem de Sancti noſtri Tertiariatu exprompſiſſe; cùm aliàs in Epocha mortis diſſideat a Bergomenſibus, & nobis ſuas dederit manus; quia ejus Vitam deſcribere promiſerat in tertia parte dictæ Hiſtoriæ, quam typis non conſignavit, uti facta diligenti exquiſitione innotuit, & in aliis jam editis partibus pauca de eodem exeruit.

X. Nec adverſatur locus Sepulturæ; quippe Jus ſepulturæ pro Tertiariis in privatis ſecularium domibus vitam ducentibus, non eſſe

ad-

adactum Eccleſiis eorum Ordinum, quibus militant, ex Pontificum Conſtitutionibus incomperto eſt; quemadmodum probant Paſſerinus de Statibus Tom. 2. qu. 187. art. 4. Inſpect. 3. cap. 3. Donatus Tom. 2. p. 2. tr. 16. qu. 2. num. 3., & idipſum Plodius innuit de Viris Illuſtribus Ordinis Prædic. p. 2. fol. 112. In cujus confirmationem nobile exemplum adduci poteſt B. Conradi Confalonerii Placentini Tertii Ordinis S. Franciſci, cujus mentio in Franciſcano Martyrologio ſub die 19. Februarii. Hic enim poſt perluſtratas in Urbe Sacras Ædes A. 1315. in Siciliam trajiciens apud Netinos diverſatus eſt, & ibidem diem ſuum claudens extremum, prævidens excitandam fore contentionem pro ſui cadaveris ſepultura in votis fuit, ut in Netina Eccleſia S. Nicolao ſacrâ conderetur, ubi etiam nunc quieſcit, & colitur; quamvis in eadem Civitate Monaſterium S. Franciſci tùnc temporis adeſſet. Ita Petrus Maria Campi in Hiſt. Eccleſ. Placentina p. 1. fol. 97., & alibi.

CAPUT VII.

De veterum Scriptorum Ordinis Prædicatorum circa S. Alberti Inſtitutum ſilentio.

NEgotium fortaſſe cuipiam faceſſet Scriptorum Ordinis Prædicatorum de Sancti Alberti Inſtituto ſilentium; cùm nullus ejuſdem Ordinis Hiſtoricus ante Seculum XV. illius mentionem fecerit: vero autem abſimile videatur de Viro ſanctitate, & miraculis claro, ac populari cultu pene poſt obitum excepto, nihil omnino ſcripſiſſe Dominicanos Auctores, atque hanc domeſticam gloriam vel ignoraſſe, vel negligenter prætermiſiſſe, ſi ad præfatum Ordinem quoquo modo pertinere illum exiſtimaſſent.

I. Hunc ego nodum ut pleniùs ſolvam, non diſſimulatis domeſticis nævis, candidè, atque ingenuè fateor Scriptorum Ordinis indiligentiam, quam ſummi, graveſque viri in hujuſmodi rebus non ſemel mirati ſunt, ac doluere; quippe qui vel documentorum inopiâ, & excidio, vel incuriosâ rerum indagatione quamplura naſcentis Ordinis decora ſilentio obvoluta poſteritati inviderunt; Plurima verò illuſtrium literis, & ſanctitate Virorum

rum nomina ab iis prætermiſſa, ac penè oblivione deleta ſequiores Scriptores diligentioribus curis è tenebris, quibus premebantur, erepta ab interitu vindicarunt. Cujus rei cùm multa adferri poſſint exempla, unum vel alterum cauſſæ, de qua agimus, accommodatiſſimum proferam.

II. Neminem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gnarum latere poteſt, qua nominis gloria, & famæ celebritate ſub initium Seculi XIII. claruerit Simon Comes Monfortius Toloſæ Dominus, *Princeps Chriſtianiſſimus, intrepidus Chriſti Athleta, verus, & ſtrenuus miles Chriſti, invictus Catholicæ Fidei Propugnator, Dominici Prælii Bellator, cujus in omnem ferè terram Fides, & Fidei ſonus exivit*, ut verbis ampliſſimis teſtantur Innocentius Tertius in Diplomate dato Laterani IV. Nonas Aprilis Pontificatûs ſui A. 18., & PP. Concilii apud Vaurum in Epiſtola Synodica ad eundem Pontificem. Vid. Bullar. Ord. Præd. Tom. 1.

III. Hunc celeberrimum Ducem cum aliis rebus præclarè geſtis, tum admirabili apud Muretum de Albigenſibus relatâ victoriâ Hiſtoricis ejus Seculi commendatiſſimum, Tertio Ordini S. Dominici, qui Ordo militiæ Jeſu Chriſti a S. P. Dominico per ea tempora inſtitu-

ſtitutus vocabatur, nomen dediſſe, res adeò perſpicuè tradita eſt Literis Innocentii Papæ III. datis A. 1210. die 28. Junii, ut in dubium vocari a nemine poſſit. At verò quid ea de re cum Hiſtorici coævi, tum Scriptores inprimis Ordinis Prædicatorum? Neminem offendes, qui ab Illo ſuſcepti Tertii Ordinis habitus, & Inſtituti mentionem fecerit, remque ceteroqui certiſſimam, & Prædicatorum faſtis jure accenſendam memoriæ prodiderit. Quòd ſi Hiſtoricorum ſilentio tranſigenda res ſit, Actum planè foret de Clariſſimi Ducis Tertiariatu, quem poſt quinque Secula e Vaticanis Regeſtis demum feliciter eruit, ac planè demonſtravit diligentiſſimus Bullarii Dominicani Collector, atque Illuſtrator eximius P. M. Antoninus Bremond Collegii Caſanatenſis Theologus.

IV. Alterum accipe ſimilis ferè Hiſtoricorum ſilentii Argumentum. Inſtitutus eſt A. 1232. a Fr. Bartholomæo Vicentino Ord. Prædic. Equitum S. Mariæ Glorioſæ, vulgo Fratrum Gaudentium Ordo, ab Urbano IV. confirmatus Anno 1261. Eximios ab illo prodiiſſe ſanctitate Vitæ, rebúſque præclarè geſtis Viros, qui per Italiam, atque in primis Bononiæ floruerint, nemo dubitaverit. Nec

præ-

præteream, amabo, Ven. Hugolinum Lambertini, unum ex ſex Viris Bononienſibus, divitiis & nobilitate præſtantibus, ut cum Sigonio loquar Tom. 2. lib. 19. pag. 1047. ſub dicto Anno, qui huic Ordini ſe dicarunt. Piiſſimum hunc Hugolinum ſummis laudibus extollunt omnes ſuæ Patriæ Hiſtorici, & An. 1258. Prætorem Mutinæ fuiſſe Dulfius tradit; ac noviſſimè PP. Soc. Jeſu Romæ applaudentes Supernæ electioni in Summum Pontificem Benedicti XIV. ad immenſum Orthodoxæ Reipublicæ beneficium Regnantis, ſuamque Familiam ad gloriæ apicem evehentis, inter Cœlitum faſtos clariſſimæ Proſapiæ, utinam nunquam interituræ, publicè expoſuerunt. Vix tamen unum, alterumve Scriptorem Dominicanum reperies, qui hujus, & aliorum nomina, aut geſta, poſterorum memoriæ commendaverit; tametſi ad eorum Familiam origine, legibus, & Inſtituto proculdubio pertinerent. Verbo dicam: ante tempora S. Catharinæ Senenſis Virginis Tertii Ordinis Prædicatorum, nulla ferè de hujuſmodi Tertiariis Perſonis ab Hiſtoricis noſtri Ordinis habita ratio, nulla literis conſignata memoria.

V. Hujus verò ſilentii cauſſam eam fuiſſe crediderim, quòd ipſarum Familiæ ſuæ re-

rum

rum non admodum diligentes Scriptores, minus de iis ſoliciti fuerint, qui propriis in domibus, ſub Parochorum curâ, velut extra Ordinem viverent, tametſi ejuſdem Ordinis legibus, veſtibus, atque inſtitutionibus uterentur. Quæ ſi ad Sanctum Albertum referas, Virum intra domeſticos lares cum Uxore viventem, diù multùmque peregrinantem, Parœciæ Seculari addictum, atque in ejuſdem Eccleſia demum ſepulcro exceptum, nihil ex ſilentio Scriptorum Ordinis adversùs ejuſdem Tertii Ordinis Inſtitutum extùndi poſſe facilè intelliges, præſertim cùm aliis documentis ejuſmodi ſilentium uberrimè ſuppleatur.

CAPUT VIII.

De antiquitate Cultûs Beato Alberto delati, ejuſque origine, & progreſſione.

I. SCriptores, qui S. Alberti mortem conſignarunt ad A. 1190., ejus Apotheoſim, ſeu Canonizationem tranſtulerunt ad A. 1279., eâ forſan ratione conciliaturi pugnantes circa ejus mortis Epocham opiniones. Sed paulò inconſultiùs adfirmant, eum in Sanctorum album a Joanne XX. dicto etiam XXI. re-

relatum fuiſſe. Nam ut ſcitè obſervant Bollandi Continuatores, laudatus Pontifex octo menſium ſpatio Pontificatum exegit, hoc eſt a die 13. Septembris ad 21. Maji 1277. Anno verò 1279. ſedebat Nicolaus III.; quapropter, quæ obtruditur, ac circumfertur ab illo acta Canonizatio, temporum, & hiſtoriæ fidei cohærere non poteſt.

II. Sed ſi ab aliquo ſequiore Pontifice prodiiſſet hujuſmodi Canonizationis Diploma, exſtaret ejus Autographum, vel ſaltem Apographum aliquod in Archivis Eccleſiæ, vel Civitatis Cremonenſis, in quibus diligentiſſimè exploratis, nullum prorſus hujus rei documentum occurrit. Altum præterea hujus Canonizationis ſilentium in Additionibus ad Martyrologium MS. ſuperiùs laudatum; tum in antiquo Breviario MS. ſub initium Seculi XV., & Pſalterio ſimiliter MS. An. 1442., quibus adjectum eſt Kalendarium, & Officium Sanctorum, quorum Feſta celebrabantur in Cathedrali Cremonenſi, ſervanturque in Archivo Capituli Cremonenſis.

III. Igitur non ex Apoſtolicæ Sedis decreto, ſed ex ſola populorum conſenſione repetendus eſt cultus B. Alberto delatus. Nam ut habet Chronicon Placentinum: „ Ab ejus

„ obi-

„ obitu incontinenter divino Miraculo vox „ inſonuit in Lombardia, quòd ipſe erat San„ ctus, & quòd faciebat multa miracula. „ *Summ. num. II.* Quare non ſolùm apud Cremonenſes, ſed & finitimos Populos coli cœpit, præſertim Parmæ, ubi ex eleemoſynis librarum 300. Imperialium ejus Imagini oblatis, quæ juxta calculum noviſſimi Concilii Romani celebrati a fel. rec. Benedicto XIII. valorem æquant ſcutorum Romanorum ſex millium, erectum eſt Hoſpitale *Fratris Alberti* nuncupatum *Summ. num. I.*, quod etiam refert Chronicon Bartholomæi Valeſtri *Summ. n. VI.*

IV. Sancti nomine eum appellatum legimus in Statutis Cremonenſibus ſuperiùs laudatis, quorum primum Rubricâ de feriis, & tempore habet: *Feſtum S. Alberti*, & ad calcem Statuti A. 1356. in Indiculo dierum feriatorum, hæc habentur: „ Madius die 7., „ quæ eſt Feſtum B. Alberti, cujus Corpus „ quieſcit in Eccleſia S. Matthiæ Apoſtoli, Cre„ monæ. „ Similia habentur in poſterioribus Statutis, & Catalogis dierum feriatorum pro foro Cremonenſi, in quibus ad diem 7. Maji notatur *S. Albertus*. De oblationibus faciendis hujus Altari nomine prædictæ Civitatis, ex ejuſdem Statutis, diximus ſupra cap. 5. n. 3.

Ita

Ita quoque in pluribus authenticis Tabulis Noſocomii Majoris Cremonæ ante medium Seculum XV. digeſtis; & jure, quia a Nicolao V. non pauca Prædia, & Redditus Hoſpitalis S. Alberti ſupradicto Noſocomio in unum addicta fuerunt.

V. Vetus Inſcriptio marmorea in ea Domo, in qua olim fuerat Hoſpitale ejus nomine nuncupatum, hæc habet: „ Hoc Opus fieri „ fecit Frater Ambroſius Miniſter Hoſpitalis „ S. Alberti MCCCXLVII. „ Prædicti verò Hoſpitalis plures exſtant authenticæ Tabulæ in Archivis Cremonenſibus, ac præſertim in illo Xenodochii Majoris dictæ Civitatis.

VI. S. Alberti Feſtum ſub ritu Semiduplici, cum Officio de Communi unius Confeſſoris celebratur die 7. Maji a Clero Seculari Cremonenſi, ut conſtat ex ejus Eccleſiæ Kalendario. At quo tempore celebrari cœptum ſit, prorſus eſt incompertum.

VII. Bajulorum Vini Cremonenſium Univerſitas A. 1493. S. Albertum ſibi Patronum adſcivit, ſuſceptâque ejus Altaris curâ in Eccleſia S. Matthiæ, marmoribus, & picturis illud decenter ornavit, perpetuò accenſâ ante illud lampade, ejuſque Feſtum ſolemni ritu, & pompâ celebrat dictâ die 7. Maji. Ita eadem

dem Bergomenſium Univerſitas ſibi pro Patrono delegit; ſed quo tempore, memoria non ſupereſt.

VIII. Sanctus Carolus in Viſitatione Apoſtolica Vallis Serianæ Anno 1575. die 2. Octobris peractâ, Sacras D. Alberti Reliquias apud Eccleſiam Parochialem D. Matthæi Apoſtoli Loci Villæ Oneæ obſequentiſſimè veneratus eſt, & examinatis teſtibus ſuper cultûs antiquitate, & miraculorum famâ, eundem approbavit; præcipiens inſuper, ut Brachium noſtri Sancti ob majorem reverentiam velo ſemper coopertum ſervaretur; & ut Hoſpitale in prædio Sancti ejuſdem conſtructum in priſtinum ſtatum reſtitueretur, ædeſque quamprimùm reficerentur; ſimilia enim paucis ante menſibus in honorem S. Alberti decreverat eodem Anno Cremonæ, viſitans die 4. Julii Parochialem S. Matthiæ Eccleſiam, & in ea recognoſcens Altare, Corpus, & Caput noſtri Sancti, cujus inveteratum cultum juridicè aſſerens, aliqua pro majori obſequio pariter ſanciverat. Harum Viſitationum originalia documenta proſtant in Tabulario Mediolanenſis Archiepiſcopatûs. *Summ. num. XV.*

IX. Corporis S. Alberti Translationes duæ factæ ſunt. Prima quidem Anno 1481. a Jo.

Antonio a Turri Epiſcopo Cremonenſi, qui exciſum illius dexterum Brachium dono conceſſit Deputatis Pagi Villæ Oneæ, Sacro Depoſito in decentiorem locum ſubinde elevato. Altera, eaque ſolemnior facta eſt A. 1652. a Franciſco Vicecomite Epiſcopo Cremonenſi, qui B. Alberti Corpus in Arca cypreſſina recluſum, juxta ſimilem B. Gherardi exuvias continentem, in Arca marmorea ſub Altari eidem S. Alberto dicato collocavit, appoſitâ hac Inſcriptione: *Corpus S. Alberti Templo inſtaurato, ex humiliore loco huc translatum A. D. 1652. die 4. Maji*. Vide Breſſianum in Vita cap. 20. Poſtremæ hujuſce Translationis die Innocentius X. Pont. Max. Indulgentiam Plenariam conceſſit, ſimilemque ad ſeptennium proximè futurum in ejus Feſto, quam alii Succeſſores Pontifices confirmarunt, *Sancti* nomine in Pontificiis Diplomatibus Alberto ſemper nuncupato. Atque hæc de cultu illius apud Cremonenſes.

X. Nec minor ejus veneratio apud ſuos conterraneos Pagi Villæ Oneæ, immo & univerſos Vallis Serianæ populos, genteſque finitimas. Nam in Eccleſia Parochiali Pagi prædicti erectum eſt Altare B. Alberto ſacrum, in quo maximâ Religione ſervatur, & colitur

Bra-

Brachium ejus dexterum Thecâ ſatis ſplendidâ recluſum, appoſitâ aureis literis hac Inſcriptione: *S. Alberti manus, Cremonæ munus, Patriæ decus*. Plures circum Altare pendent votivæ Tabellæ, miraculorum indices, quæ ad ejus nominis Invocationem, & Aquæ ejus Reliquiarum contactu benedictæ uſu Infirmis ſatis frequenti in dies contingunt. Adeò pervetus eſt hic cultus in nativo Sancti ſolo, ut apud Parochum Villæ Oneæ adſit Pergamena circa principium Seculi XIV. exſcripta, in qua Albertus Sancti nomine pluries inſignitur.

XI. Ad mille circiter paſſus extra Villam Oneæ circa A. 1608. erectum eſt Cœnobium Fratrum Minorum, (quos Reformatos de Obſervantia vocant), & Templum S. Alberto ſacrum. Eo loci fuiſſe traditur paterna Domus S. Alberti, cujus mandibulæ inferioris pars Apoſtolicâ Urbani VIII. auctoritate die 9. Auguſti 1624. a Card. Camporeo, tunc Epiſcopo Cremonenſi, conceſſa fuit PP. Reformatis memorati Conventus. Præterea in Parochiali Eccleſia inſignis Pagi Nembri quinque milliaribus Bergomo diſſiti, in noſtri Sancti honorem extructum viſitur Altare, ad quod Feſto ejuſdem die ex antiquo communi Voto ſolemniter quotannis Sacrum celebratur.

XII. In nonnullis Italiæ Civitatibus Vini Portitores Artis ſuæ Patronum B. Albertum venerantur, quòd vulgò feratur, eâ arte illum victitaſſe. Sed in Hiſpania, ac præſertim in Cathalaunia Lanificorum Ars eum ſibi in Patronum adſcivit, quam illum exercuiſſe ſcribit Cavitellus; quapropter eorum Sodalitium in Conventu Vicenſi Fratrum Prædicatorum S. Alberti Feſtum ſolemniter celebrat, ejuſque Iconem colit habitu Tertii Ordinis S. Dominici expreſſam. *Summ. num. XVI.* In Choro etiam Prædicatorum Conventûs Sanctæ Catharinæ Barchinonæ, inter alias Beatorum Ord. Prædicarorum, ſculpta renidet ejus Imago Lanificii inſtrumentis munita.

INDICULUS

Scriptorum, qui de S. Alberto egerunt.

ARiſius Franciſcus J. C. Cremonæ Hiſtoricus in Cremona Literata Tom. 2. pag. 177. & in Serie chronologica Prætorum Cremonæ ad A. 1279.

Benaleus M. Antonius Bergomas de Vita, & rebus geſtis SS. Bergomatum apud Jo. Antonium Guarnerium, qui ejus Commentarios

tarios emendatos, & auctos primò edidit Bergomi Anno 1584. ſed potiùs apud Bartholomæum Pellegrinum.

Bollandi Continuatores in Actis SS. ad diem 7. Maji.

Botti Paulus Cl. Reg. in Vita S. Homoboni.

Bulzius Gregorius Cl. Reg. Somalch. in lib. Epigram. ſub Nonis Maji.

Burdigali Dominicus in MS. pag. 18.

Bzovius Abraham in Annal. Eccleſiaſticis ad A. 1279.

P. Calvi Donatus in Ephemeride Sacro-profana, Mediolani 1676.

Campi Antonius Hiſt. Crem. lib. 20. pag. 26.

Campi Petrus Maria Hiſt. Placent. Tom. 2. lib. 15. pag. 77.

du-Cange in Gloſſario mediæ, & infimæ Latinitatis verb. *Portator*.

Cavitellus Ludovicus Annal. Crem. pag. 98.

P. Cœleſtinus Ordinis Capuccinorum in Hiſt. Eccleſiarum Bergomenſium.

Chronicon Parmenſe ad A. 1279. Tom. 9. Rer. Italic. Script.

Chronicon Placentinum MS. apud Petrum Mariam Campi in Hiſt. Placent.

P. Ferrari Philippus Ordinis Servorum B. V. M. in Catalogo SS. Italiæ pag. 259.

P. Feſta Petrus Martyr Ord. Prædic. in Chron. MS. Conventûs S. Dominici Cremonæ.

Gaddius Jacobus in Opere MS. Extractio multarum Hiſt. ad A. 1279.

Galleſinus in Martyrologio.

Guerinus Martinus Antonius in Synopſi Eccleſiæ Bergomenſis.

Kalendarium Cremonenſe ad diem 7. Maji.

Legenda Cremonenſis apud S. Matthiam MS. de S. Alberto.

Legenda altera apud Parochum Villæ Oneæ de ejuſdem Vita.

Memoriale Poteſtatum Regienſium ad A. 1279. Tom. 9. Rer. Italic. Script.

Merula Pellegrinus in Sanctuario Cremonæ ad diem 7. Maji pag. 121.

Mutius Marius in Hiſt. Sac. Bergomi p. 217.

Negri Joſeph Aurelius Canonicus in Hiſt. MS. Epiſcop. Cremon. apud Cl. Ariſium.

Pellegrinus Bartholomæus in Vinea Sacra Bergomi edita A. 1553.

Sigonius Carolus de Regno Italiæ Tom. 2. lib. 20. pag. 221. veteris editionis.

Trombonus Hieronymus in Vita S. Homoboni.

Turricinus Jo. Antonius in MSS. pag. 112.

Valeſtri Bartholomęus in Chronico Parmenſi ad A. 1279.

SUM-

SUMMARIUM

Documentorum, quæ in Diſſertatione laudantur.

Num. I. „ ITem eodem Anno, (ſcilicet 1279.)
„ quidam bonus Homo de Cre-
„ mona, nomine Albertus, qui fuerat Porta-
„ tor Vini, ſeu Leonifer, obiit Cremonæ,
„ & ad Sepulturam ipſius apparuerunt magna
„ mirabilia, ut dictum fuit. Quapropter ma-
„ xima multitudo Peregrinorum ad hoc ive-
„ runt Cremonam, & certi Brentatores de
„ Parma, qui Cremonam iverunt, propterea
„ cum fuerunt Parmæ, fecerunt depingi figu-
„ ram ejus ad trophinam S. Petri in Platea
„ Communis Parmæ, ad quam figuram ma-
„ gna miracula dicta ſunt fieri ad curandum
„ Infirmos, & tota Civitas, Clerus, & Popu-
„ lus illuc iverunt; & Travachæ, & Pavajo-
„ ni erant in Platea Communis, ubi jacebant
„ Infirmi, & ibi omni die Miſſa celebrabatur,
„ & hæc miracula inter alia fuerant, quia
„ omnes Meſterii de Parma a majore uſque
„ ad minorem fuerunt ad dictam figuram
„ cum Palliis, & cannellis: & Oblationes
„ maximæ ibi factæ fuerunt, quæ benè value-
„ runt trecentum libras Imperiales, & ultrà.

„ Ex quibus emptæ fuerunt domus illorum „ de Malabranchis in vicinia S. Stephani in „ ſtrata Claudia per Commune Parmæ, & „ Meſterii, & in ipſis ædificatum fuit Hoſpi- „ tale unum, quod fuit vocatum Hoſpitale „ Fratris Alberti perpetuò ad honorem Dei „ duraturum ad ſubſidium Pauperum, & pie- „ tatis, & hoſpitalitatis opera facienda.

Num. II. „ Eodem milleſimo (1279.) die „ Sabbati VI. menſis Madii in Civitate Cre- „ monæ morte naturali mortuus eſt quidam „ Homo, qui fuit Portator Vini, & Blavæ, „ bonus Homo timens Deum, & viſitans ſæ- „ pe & ſæpius limina Sancti Petri, faciens „ eleemoſynas, perſeverans in orationibus in „ Civitate Cremonæ in Eccleſia. Et ſicuti di- „ citur, non potuerunt Pollinctores eum ſe- „ pelire, nec terram ligonibus perfodere. „ Et ſicut ſolitus erat orare in Choro Eccle- „ ſiæ, ipſum ſepelierunt, quia bonus Homo „ vocabatur Albertus, & ſic incontinenti, „ divino miraculo vox ſonuit in Lombardia, „ quòd ipſe erat Sanctus, & quòd faciebat „ multa miracula, & taliter crevit vox, & „ fama de eo, quòd omnes debiles, & malè „ habentes, & innumerabiles Perſonæ undi- „ que illuc accedunt, & dicitur quòd multa

„ mi-

„ miracula facit, & vocatur Sanctus Alber-
„ tus.

Num. III. „ Adeſt in dicta Vicinia in Ec-
„ cleſia S. Matthiæ Corpus D. Alberti noſtri
„ Cremonenſis, qui obiit de Anno 1279. de
„ menſe Madii, & in ipſo Templo Corpus in
„ Arca ſepelitur; multa miracula tunc fecit.

Num. IV. „ Sub A. 1279. D. Albertus
„ Cremonenſis moritur. In Templo D. Mat-
„ thiæ ſepelitur honorificè a Cremonenſibus,
„ & miraculis claruit.

Num.V. Lodovico Cavitello ſollecito Scrittore delle coſe avvenute a Cremona, racconta, che un certo Alberto Bergamaſco della Villa Ogni, o Aonio, eſſendo moleſtato da alcuni Nobili da Bergamo, quali gli volevano occupare da 40. pertiche di Terra, per ſchivare tali diſturbi ſi partì laſciando ogni coſa, e venne a Cremona, e preſe l'abito del Terz' Ordine di S. Domenico dalle mani de' Frati, quali allora dimoravano a S. Guglielmo, e dopo con l'eſercizio ſuo guadagnava non ſolo il vitto per sè, ma ancora per altri poveri. Per divozione andò nove volte a Roma a viſitare quelli luoghi Santi, ed otto volte andò in Spagna a venerare le Reliquie di S. Giacomo. Finalmente un giorno di Domenica alli

7. Mag-

7. Maggio ricevuti li Santi Sacramenti per mano del Rev. Curato di San Sepolcro reſe l'Anima divotamente al ſuo Signore, e fu ſepolto nella Chieſa di S. Mattia, ove è venerato come Santo. Ed aggiunge queſto Scrittore, che avendo inteſo Papa Gioan XX. la Santità di queſto Alberto, e li Miracoli, che egli avea fatto in vita, e in morte, lo deſcriſſe fra il numero delli Santi Confeſſori, e di Lui ſi fa memoria ogn' anno nel giorno ſuddetto della ſua morte, e racconta tutto queſto ſotto l'Anno 1279.

E perchè in altre Scritture non ho trovato farſi memoria di queſto Alberto, andai io a ragionar con il Rev. Rettore di S. Mattia, dove ſi trova ſepolto queſto Santo, per intendere, ſe egli avea notizia alcuna di eſſo, ed egli mi diede Copia d'una Scrittura, qual dice trovò nella Sacriſtia, quando preſe il poſſeſſo di quella Chieſa, che fu l'Anno 1587., il qual Rev. Rettore ſi chiama Don Giacomo Pocchetto. Nelle qual Scritture, oltre le coſe ſopradette, vi ſi contengono queſti Miracoli particolari. Primieramente, che venendo una volta da S. Giacomo a Cremona, e dovendo paſſare un Fiume, nè volendo il Barcaruolo riceverlo nella Barca, perchè non

avea

avea con che pagarlo ; il Santo ſteſe la ſua Cappa ſopra l'acque, ed aſceſo ſopra di quella, miracoloſamente paſsò il Fiume. Duoi Padri Eremitani volevano far ſapere queſto miracoloſo paſſaggio del Fiume a tutti, ed il Santo diſſe, che ſe lo facevano ſapere, mai più averebbe poſto il piede in Cremona, per il chè promiſero tacerlo, mentre vivea. Un certo Ambroſio di Fauſtini invitò Fra Alberto a tagliar il fieno in un Campo, imponendogli, che menaſſe ſeco un Compagno. Nell' ora del pranzo il detto Ambroſio li portò da mangiare, e da lontano vide, che erano duoi che tagliavano il fieno, ma quando fu appreſſo, vide Fra Alberto ſolo, e l'iſteſſo occorſe nell'ora di merendare. La ſera il nominato Ambroſio voleva dare a Fra Alberto doppia mercede, penſando, che aveſſe avuto un Compagno, tanto più, perchè l'opra fatta giudicò non potere eſſere d'un ſolo, ma di duoi; e Fra Alberto riſpoſe, che egli ſolo avea lavorato, e che perciò volea la mercede d'un ſolo.

Una Donna della Vicinanza di S. Fauſtino in Cremona chiamò Fra Alberto, acciò gli accomodaſſe una Botta di Vino, qual'avea in Cantina vuota. Venne Fra Alberto, che

la

la Donna non era in Caſa, e levò li cerchj da una, quale era piena di vino, per il che il vino andò per terra, e ſopravenendo la Donna, e vedendo il vino per terra, chiamava ſe ſteſſa diſgraziata. Allora Fra Alberto diſſe, il Re di Gloria ci ajuterà; parole, quali ſpeſſo egli avea in bocca; onde racconciata la Botta, ſi trovò tutta piena di vino.

Una volta la Moglie di Fra Alberto avea fatto una Torta, ed eſſendo lei abſente, Fra Alberto tagliò la ſua parte, e la diede a' poveri; torna a caſa la Moglie, qual avendo ciò inteſo, ſi moſtrava verſo di lui molto faſtidioſa; ma ſcoprendo poi di nuovo la Torta, la trovò intiera, per il che ella ſi reſe poi dopo molto umile, ed elemoſiniera.

Conoſcendoſi Fra Alberto vicino a morte, voleva eſſere ſepolto nella Chieſa di San Guglielmo, nella quale abitavano li Frati di S. Domenico, dalli quali era ſolito di confeſſarſi, eſſendo dell' iſteſs' Ordine, benchè Terzino, di quelli però che non ſtavano nelli Chioſtri, ma in Caſa ſua, ma non avea coſa alcuna da ſpendere per la Sepoltura, onde mandò a dimandare il Paroco di S. Mattia, e non trovandoſi allora a Caſa, mandò a dimandare il Rettore di S. Sepolcro per la Santa

Co-

Comunione, il quale ſubito venne portando il Santiſſimo Sacramento, e trovò che già era Comunicato, e vide il Santo Comunichino nella bocca ſua portatogli da una Colomba, e ſubito paſsò a miglior vita. In quel punto ſi ſentirono a ſonare le Campane della Chieſa di S. Mattia ſenza agiuto umano. Tentavano li vicini di cavare il Sepolcro ſuo nel Cemiterio di S. Mattia, nè mai fu poſſibile, ed entrati in Chieſa viddero un Sepolcro già cavato, ed ivi con licenza del Reverendiſſimo Veſcovo, qual era Monſignor Ponzio de Ponzoni, fu ſepolto, e vi ſi fabbricò un'Altare.

Non tacerò, che eſſendo io andato a viſitare detto Altare, trovai, che il Santo era dipinto con il Mantello berettino, e la pittura era fatta da poco tempo in quà.

Num. VI. Alberto da Cremona Brentatore Homo bono morì a Cremona, e apparve molti Miracoli alla Sepoltura, per la qual coſa molte Genti andarono a Cremona, e andaron certi Brentatori di Parma; queſti tornati fecero pingere la Figura di queſto ad Triſinam Eccleſiæ Sancti Petri in Piazza Comune, la qual Figura fece anco aſſai Miracoli, per la qual coſa vi corſon gl' Infermi, ed eran ſanati, e tutta la Città, il Popolo, il Clero ve

an-

andoro, e Trabache, e Pavajoni eran in Piazza, dove eran gl' Infermi dentro, ed ivi omni die ſi celebrava la Meſſa, e faceva Miracoli; e li Meſtieri, ed Arte di Parma, grande, piccole, andavan con candele, e pallj, ed offerte, e fu in un dì offerto la valzuta di 300. lire Imperiali, e più, delle quali comperaron la Caſa de' Malabranchi nella vicinanza de Santo Steffano in ſtrata Claudia, per il Comune di Parma, Arte, e Meſtieri, ed in quel loco fu edificato un' Oſpitale, detto poi Oſpitale di Santo Alberto, perpetuo duraturo a onor di Dio, e ſuſſidio de' Poveri.

Num. VII. Divus Albertus Bergomenſis ex Pago Aonii, ſeu Ollii, Agri Bergomenſis, profectus Cremonam, dimiſſis quibuſcumque bonis, quæ in eo Pago habebat, ad evitandam moleſtiam, quæ ſibi inferebatur per Suardos ex primoribus Bergomenſibus, ut ſibi concederet Fundum perticarum circiter 40. in eo Pago ſitum, & per eum aſſumpto habitu Religioſorum Tertii Ordinis Prædicatorum Divi Dominici, unà cum Religioſis Conventualium Divi Franciſci, commorantium tunc in ædibus Divi Gulielmi, ut præfertur, vitam ſuam ducendo ſumma cum abſtinentia, vigiliis, orationibus, jejuniis, & aliis operibus piis

piis incumbendo, & ſibi victum acquirendo *laborerio Lanificii*, & lucrum, quod ex eo faciebat, dividendo cum pauperibus; & dum illinc novies profectus fuerit Romam ad ibi viſitandum Reliquias Apoſtolorum Petri, & Pauli, & aliorum Sanctorum, quæ ibi aſſervarentur, & octies in Hiſpaniam ad viſitandum Reliquias Divi Jacobi etiam Apoſtoli, ibi apud Galegorum Urbem aſſervatas, die Dominica 7. Maji, ſumpto Ven. Sacramento Euchariſtiæ e manibus Presbyteri Curati Eccleſiæ Divi Syri, nunc Sepulcri, ex hac vita migravit, & ejus Corpus ſepultum fuit in Eccleſia Parochiali Divi Matthiæ, in cujus Parochia habitabat, & in qua reperitur, & colitur, Pontio Ponzono tunc Vicario Epiſcopali Cremonæ; & ob miracula, quibus vivens, & mortuus effulſit virtute Omnipotentis Dei, ex ordine Joannis XX. tunc Summi Pontif. his auditis, & adnotatis, fuit deſcriptus inter Sanctos Confeſſores, & ejus memoria quotannis celebratur Cremonæ ea die obitûs ſui.

Num. VIII. Adì 7. Maggio 1279. in Cremona voloſſene al Cielo l'Anima beata di S. Alberto Confeſſore noſtro Compatriota, nato ed allevato in Villa d'Ogna, nella Valle Seriana Superiore, di cui, tralaſciati alquanti

Ve-

Veſcovi, tratteremo difuſamente nel primo Libro del Terzo Volume.

Num. IX. Prima Parte lib. 2. cap. 17. pag. 72. e 77. Seconda Parte Vol. 1. lib. 1. pag. 13. 16. 26. 32. 44. 49. 102. 103. e ſeguenti: 142. 148. 149. 151. 152. 158. 227. 228. e ſeguenti: 237. 238. 262. e ſeguenti: 290. 332. e 333. Nel ſecondo Volume della ſteſſa ſeconda Parte pag. 2. 3. 8. 9. 15. 16. 17. 30. 45. 96. 104. 125. 126. 142. 143. 144. 146. 147. 149. 151. 152. 154. 184. 201. 218. 219. 223. fino a 228. 232. ſino a 254. 257. 260. 271. 272. 279. 286. 287. 292. 293. 307. 310. 314. 320. 321. 332. 377. e 384.

Num. X. Homobonus Cremonenſis fuit ex honeſta Tucengorum Familia, Patre Mercatore, non opulento illo quidem, ſed tamen nec ſordido, quippe cui ab Attavis uſque eſſet domus in Urbe apud Ædem D. Ægidii, præterea Prædium ſuburbanum, undè victui ſuo neceſſaria quotannis capiebat. = Hunc parentes traduxere ad exercendam eam, quam ipſi faciebant, mercaturam.

Num. XI. In Inſtrumento Locationis recepto per qu. D. Joannem de Dragonibus aliàs Civem, ac publicum Imperiali Auctoritate Notarium Civitatis Cremonenſis ſub die 28. men-

menſis Januarii Anni 1415. adſunt ſcripta ad literam hæc verba: „ Ibique Frater Julianus F. „ qu. Tedoldi de Gualenghis Miniſter, & Re- „ ctor Oſpitalis S. Alberti Cremonæ. „ Et in alio loco legitur ut infra: „ Cui petiæ Terræ „ cohærent ab una parte Strata Perſichelli, & „ ab alia, Jura dicti Oſpitalis S. Alberti &c. „ Item in alio Inſtrumento Locationis recepto per qu. D. Bartholomæum de Syuria aliàs Civem, ac publicum Imperiali Auctoritate Notarium Cremonæ ſub die 17. menſis Octobris Anni 1421. leguntur infraſcripta verba: „ Cùm „ Frater Julianus de Gualenghis olim Miniſter „ Ven. Oſpitalis S. Alberti Cremonæ nomine, „ & vice dicti Oſpitalis inveſtiverit &c. „ & hæc extracta ſunt in forma authentica ex Archivo Scripturarum attinentium ad negotia Ven. Hoſpitalis Majoris ſub titulo Sanctæ Mariæ Pietatis Cremonæ per D. Pompeum Antonium Boccolum Civem, & Notarium Collegiatum Cremonæ, dictique Ven. Hoſpitalis Majoris Ordinum Conſervatorem, & Archivi Cuſtodem ſub die 20. menſis Julii A. 1745.

Num. XII. Beatiſſime Pater. = Benigno, lætoque animo excipiat S V. humillimas, ac devotas preces, quas, poſt Pedum oſcula beatorum, tibi offerimus Miniſter Provincia-

E lis,

lis, ac Deffinitores Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum in Provincia Brixienſi, ut Apoſtolica Auctoritate approbare digneris, ac roborare cultum, quo ſemper majores noſtri, & nos venerati ſumus S. Albertum a Villa Ognæ Tertiarium Ordinis S. Dominici, ante faciem Domini conſpicuum. Sic conſtat ex antiquis Iconibus, & præſertim ex vetuſta Tabella, in qua apparet Sanctus genuflexus ad januam Cœnobii S. Gulielmi apud Cremonam, coram duobus Religioſis S. P. Dominici, petens benedictionem, habitu albo indutus cum cappa griſei coloris, quæ aſſervatur in cubiculo prope Eccleſiam noſtram in honorem dicti Servi Dei erectam. Ad hanc quotannis confluere ſolent finitimi populi, votaque D. Alberto ſemper nuncupare; & ſi unquam aliàs, hoc præcipuè tempore, quo Inſubria exitioſis miſeriis ſeipſam conficiens, domeſticorum Dei præſidio, ac tutelâ opus habet; Indeque ſperandum, ut inviolabili firmata munimine veneratio, quæ S. Alberto exhibetur, vehementiùs populum ad devotionem commoveat, precibuſque ſuis, & meritis iratum Numen ad miſericordiam flectat, quatenus arcus conterat, & confringat arma; ac Beatitudinem Veſtram diù conſervet, & feli-

feliciter pro conſolatione Eccleſiæ ſuæ Sanctæ.

Dat. Bergomi in Conventu Sanctæ Mariæ Gratiarum menſe Auguſto 1746.

Subſcripta ab Adm. Rev. P. Damaſo de Arcene Magiſtro Provinciali, & a PP. Deffinitoribus ejuſdem Provinciæ Ordinis Min. Strictioris Obſervantiæ, Sigilloque ejuſdem Officii munita.

In reiteratis poſtea ejuſdem Brixienſis Provinciæ ad Summum Pontificem demiſſis precibus repetunt & urgent laudati Patres non minus pii quàm docti Teſtes oculares, S. Albertum Tertio Ordini S. Dominici nomen dediſſe amplioribus verbis, ita de ipſo loquendo: „ Qui habitum geſſit Tertiariorum „ S. P. Dominici, pro ut teſtantur Tabellæ, & „ Imagines tam in dicta Villa Ognæ, quàm „ in tota Valle Seriana exiſtentes.

Num. XIII. Pateat omnibus; „ Come „ nel Muro, che riſguarda alla Chieſa delle „ Monache di S. Chiara, dette del Paradiſo, „ Caſa ſpettante ora a Pietro quond. Ventu„ra Comunetti della magnifica Terra di Clu„ſone, Terra, e Capitale della Valle Seria„na Superiore, Dioceſi di Bergamo, Stato „ Veneto, trovaſi una Pittura a freſco, in cui

„ vedonſi dipinte, alla deſtra S. Antonio Ab-
„ bate, in mezzo la Beata Vergine Maria,
„ che tiene il Bambino Gesù in braccio, dipoi
„ S. Sebaſtiano, e dopo nel termine trovaſi
„ dipinto S. Alberto in piedi con una Veſte
„ lunga ſino alla metà delle Gambe di colore
„ caſtaneo, con ſopra lo Scapulare bianco,
„ in mano deſtra tiene la corona, e nella ſini-
„ ſtra un baſtone. In capo tiene una doppia
„ beretta, di ſotto di colore caſtaneo, e di
„ ſopra di color bianco, con l'aureola a oro
„ in capo.

„ Di ſotto poi ſi vedono queſte parole
„ in lettera gotica = *Sta Opera fece facere M.*
„ *Andriolo Fiolo che fu del Ser* .... ed il re-
„ ſtante non ſi può leggere per eſſere il mu-
„ ro rotto. Dipoi ſi vede il Milleſimo in
„ lettera gotica, (dee dirſi in numeri roma-
ni) MD.

„ Fra Deſiderio da Leſſe Guardiano del
„ Convento di S. Alberto affermo avere ve-
„ duto con i proprj occhj, ed eſſere il ſopra
„ ſcritto veriſſimo.

„ Io F. Celeſtino d'Erbuſco Min. Oſſerv.
„ affermo d'aver veduta la ſopradetta Pittura
„ tale quale è ſopra deſcritta.

„ P. Andrea Truſardi affermo aver ve-
„ duto

„ duto la ſopra Pittura , eſſer tutto vero co-
„ me ſopra ſi vede ſcritto .

In calce atteſtationis hujus adeſt Legalizatio Thomæ filii D. Jo. Antonii de Calvis de Cluſono V. A. Notarii Publici, de cujus Thomæ publico, & legali Officio, ejuſque plena Fide ubique locorum teſtatur Excell.mus Nob. Venetus D. Antonius Cornelius pro Sereniſs. Duc. Dominio Venetiarum Vallis Serianæ Superioris Prætor ſub die 17. Auguſti Anno 1742.

Num. XIV. Paragrafo di Lettera ſcritta, ſotto li 11. Agoſto del corrente 1746. dal Rev. Sig. D. Giacinto Mazzoleni Paroco di Villa d'Ogna al Rev.mo P. Inquiſitore di Milano. „ Noi
„ abbiamo il Quadro nel Convento de' medeſi-
„ mi PP. Riformati, abbiamo la Pittura ſopra la
„ Caſa Morotti, del 1515. penſo quella, che ſua
„ P. Rev.ma mi ricerca, altra in Caſa Cedroni
„ del 1518. l'antico Quadro ſopra il Pulpito del-
„ la Chieſa Parochiale, l'antico Stendardo colla
„ ſottoveſte di S. Alberto ſino a' piedi color di
„ vino , e ſopra come una Pianeta ſino alle
„ ginocchia unita però ſotto le braccia bian-
„ cheggiante ; Un' altra Pittura ſopra antico
„ Parapetto di Corame quaſi del tutto bianca,
„ tutte prodotte in proceſſo. Più abbiamo an-
„ cora una Statoa ſopra l'Altare Maggiore di

 „ le-

„ legno antichiſſima, mentre era del Taber-
„ nacolo vecchio, già per decreto levato,
„ con la Veſte ſino alli piedi bianca, e ſopra
„ con Mantello dorato; nè vale il dire, che
„ è bianca la Veſte per eſſere inargentata,
„ perchè la Statoa di S. Matteo, nell' antichi-
„ tà, e grandezza del tutto ſimile, e che
„ ſerve ancor mò di abbellimento al nuovo
„ Tabernacolo, ha la Veſte roſſa. E perchè
„ una roſſa, e l'altra bianca? Queſto non è
„ in Proceſſo. Il Quadro nella Parochiale di
„ Nàzulino all'Altare della B. V. a man drit-
„ ta, neppur queſto è in Proceſſo, e però
„ moderno ec.

Num. XV. In Libro, cui titulus: Scriptu-
tæ Viſitationis Apoſtolicæ Civitatis Cremonæ
factæ à Sancto Carolo Cardinali Viſitatore
Apoſtolico Anno 1575. in Quaternione 18.
ejuſdem Libri quoad Eccleſiam Parochialem
S. Matthiæ, reperitur decretum ſequens: „Si
„ fabbrichi un luogo nella Cappella del Beato
„ Alberto da ſerrare con chiavi, nel quale
„ ſi tenghino le Reliquie; „ Item fol. 3. de-
cretum 4. „ Si aggrandiſca la Bradella dell'Al-
„ tare del Beato Alberto, quale facci un ſolo
„ ſcalino, e ſe gli metta davanti la ſua Crate
„ di ferro.

Et

Et in Volumine Viſitationis Civitatis, & Diœceſis Bergomi ab eodem Sancto Carolo Viſitatore Apoſtolico factæ eodem Anno, in fol. 289. ubi de Eccleſia Parochiali S. Matthæi Loci Villæ Oneæ agitur, inter alia reperitur §. 5. „ In Altari S. Alberti adeſt Schola ſub „ eodem Titulo, quæ ibi celebrare facit ſin„ gulâ quaque ſecundâ Dominicâ cujuslibet „ menſis. „ Et ſequenti fol. 290. §. ultimo reperitur, ut ſequitur; „ Eccleſia cum Hoſpi„ tali ſub Titulo S. Alberti, quæ campeſtris „ eſt, membrum dictæ Parochialis Eccleſiæ de „ Villa Oneæ, in qua ex devotione Schola„ rium S. Alberti quandoque celebratur; ibi„ que cuſtodiuntur, & venerantur Reliquiæ „ Beati Alberti iſtius Loci Oriundi, ex cujus „ hæreditate, & bonis Eccleſia hæc fuit ere„ cta, erectumque etiam fuit, ac fundatum, „ & dotatum Hoſpitale S. Alberti nuncupa„ tum penès ipſam Eccleſiam „ &c. Et quibuſdam interjectis, ſequitur: „ In Altari Majori „ a cornu Epiſtolæ aſſervatur Vas aquâ bene„ dictâ plenum, quæ ſingulis Annis die 7. „ Maji per Curatum renovatur, & benedici„ tur cum Reliquia S. Alberti, quæ a Paro„ cho proceſſionalitèr affertur, & in aqua „ emergitur, febricitanteſque, & alio morbo

„ la-

„ laborantes ad eam accipiendam tranſmittunt, „ ob idque ſanari aſſerunt; ideoque ex toto „ menſe Maji magnus Populi concurſus confluit ad hanc Eccleſiam ex devotione aquæ „ prædictæ, & ut etiam patet informationibus „ ſuperinde ſumptis in Libro Proceſſuum.

Et in Libro Decretorum ejuſdem S. Caroli Viſitatoris Apoſtolici fol. 159. tergo reperitur ſcriptum, ut ſequitur: „ In Eccleſia S. „ Matthæi loci Villæ Oneæ. §. ultimo: Brachium Sancti Alberti velo ſemper coopertum ſervetur. „ Et fol. 160. hæc leguntur: „ In Eccleſia, & Hoſpitali Sancti Alberti. §. 4. „ Hoſpitalitas inſtauretur juxta formam ejus „ fundationis. = Debita, ac ſolita obſequia in „ eo Hoſpitali, & ejus Eccleſia obſerventur, „ & ut latiùs patet Inſtrumento per Cancellarium viſitationis recepto, ideoque reſtaurentur quàm primùm ædes dicti Hoſpitalis.

Hæc omnia peracta fuerunt ſub die 2. Menſis Octobris A. 1575. ut conſtat ex Authentico Tranſumpto R. D. Jo. Franciſci Siſinii Notarii Apoſtolici, & Cuſtodis Archivi viſitationum Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani, ſubſcripto ſub die 26. Septembris currentis A. 1746. adjecta Legalizatione Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Vicarii Generalis Archiepiſcopalis Mediolani.

Num.

Num. XVI. Tranſunto Italiano d'un pubblico Inſtrumento in lingua Latina, e Cattalana, rogato dal pubblico Notajo Ignazio Coromina, e Boſch nella Città di Vich in Cattalogna ſotto li 25. Maggio del corrente Anno 1746. con tutte le più autentiche formalità, e legali atteſtazioni: „ Attendendo, che per „ certi fini, ed effetti convien ſaperſi, quanto „ tempo è, che l'Immagine di S. Alberto „ Bergomenſe ſia collocata nel preſente Alta„ re proprio della Univerſità delli Lavoratori „ di Pannina della preſente Città di Vich, „ e di quanto in quà ſi celebri la Feſta di „ detto Santo; perciò dicono, e dichiarano, „ cioè il P. Fr. Tommaſo Font Priore, di „ più di quarant' anni a queſta parte, ed „ il P. Fr. Emmanuele Tio di più di cin„ quant'anni a queſta parte ſempre anno vi„ ſto, ed oſſervato eſſere collocato, e poſto „ il preſente Altare proprio di detta Univer„ ſità nella preſente Chieſa, e nella parte dell' „ Epiſtola, ed in eſſo collocata, e poſta l'Im„ magine, che ſi vede, e guarda di S. Alber„ to Bergomenſe, fatta Statua di legno, pittu„ rata coll'abito, e ſcapulario di colore bian„ co, ed il Mantello di colore negro, tenen„ do nella deſtra mano un Giglio, e nella ſi-

„ ni-

„ niſtra una Carda (*a*), al qual Santo in detto
„ Altare, ſempre che loro anno avuta la re-
„ ſidenza in detta Città, anno viſto che detta
„ Univerſità delli Lavoratori di Pannina tutti
„ gl'anni al giorno ſette del meſe di Maggio
„ facevano, e celebravano la Feſta, come fin'
„ al giorno d'oggi fanno, ed aver veduto, e
„ letto ne' libri della Sacriſtia della preſente
„ Chieſa, che nel giorno ſette del meſe di
„ Maggio dell' anno mille ſeicento ſettanta-
„ quattro per ordine, e conto della medeſima
„ Univerſità ſi cominciò a fare, e celebrare
„ detta Feſta, e che fin al giorno preſente
„ s'è uſato; che è quanto ſopra il predetto
„ anno viſto, ed oſſervato, e queſto diſſero eſ-
„ ſere la verità per il giuramento preſtato.

Queſta è la Particola del detto Inſtrumento toccante il culto di S. Alberto nella Chieſa di S. Domenico de' PP. Predicatori della Città di Vich, o Vico in Cattalogna.

(a) *Carda, ſtrumento, con cui ſi ſcardaſſa, e raffina la Lana.*

* * * * * *

Duo adnotanda ſubjicimus.

I. Quòd Cl. Vir J. U. D. Franciſcus Ariſius in hac non ſemel Diſſertatione commen-
datus

datus a præſenti Vita ferè nonagenarius deceſſit A. 1743., perpetuò tamen duraturus in Eruditorum memoria ob innumera ſublimis ingenii ad Patriæ decus, & Poëſis delicias edita, atque relicta monumenta. Quamobrem apud ejuſdem Filium J. U. D. Homobonum Xaverium, cùm ſelectæ ac copioſæ Bibliothecæ hæredem, tùm paternæ gloriæ æmulum, & non impari præditum mente nunc adſervantur Manuſcripta, quæ Cap. II. innuimus.

II. Quòd olim Equites ſeu Fratres Sanctæ Mariæ Glorioſæ, dicti Gaudentes, ab eorum pene exordio moram duxerint Cremonæ, ut in Sanctuario Cremonenſi pag. 21. a Pellegrino Merula ſcitè animadvertitur, & traditur inter Obſervationes ad feſtum Aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, cujus glorioſo illuc titulo magnifica decoratur Cathedralis Eccleſia, quia ſub iſtius Paræcia ipſimet ad publicum bonum, & potiſſimùm Infirmorum curam convivebant. In Manuſcriptis pariter ſtrenuo confectis labore a laudato Joſeph Breſſiani apud J. U. D. Franciſcum Mariam Breſſiani Carena ipſius pronepotem, Juriſprudentiâ, ac aliis bonis artibus ornatiſſimum videri poſſunt non pauca a præfatis Equitibus peracta quoad uſque in dicta Civitate permanſe-

ſerunt. Nihilominus de tam nobili Fratrum Tertii Ordinis S. Dominici Cœtu Cremonæ olim degente nec iota adinveniri datum fuit in Archivo documentorum ſatis ſuperque feraci Cœnobii PP. Prædicatorum ejuſdem Urbis, nec apud ullum Scriptorem memorati Ordinis. Mirum igitur non ſit, ſi de Tertiariatu noſtri S. Alberti pauca ſcriptis conſignata ſuperſint! Eo vel maximè, cùm de Viro Agricola, extraneo, mechanicis artibus addicto, uxorato, propriam incolente domum, extra ſui Ordinis Eccleſiam ſepulto, ac venerato ageretur. Mirum tamen cenſendum eſt, & ſupra omnem hominum opinionem, allata monumenta hactenus fuiſſe ſervata, inducto non obſtante anticipatæ emortualis Epochæ errore, quem viri ceteroquin docti inconſultò amplexi ſunt. Et hoc quidem, quinque Seculorum decurſu, ad majorem Dei gloriam in noſtro Sancto ne dum ab Eccleſiaſticis, ſed & a profanis Chroniſtis ſummopere exaltato provehendam, pro qua dumtaxat, quantum in nobis fuit, ſtudioſè decertavimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google

60. 2
BIBLIOTECA